


F. V.



Q. D. B. V.

34 33.

C. TREBATIUS TESTA
ICTVS INIVRIIS TAM
VETERVM QVAM RECENTIO-
RVM AVCTORVM
LIBERATVS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE A DOMINO
DN. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO DVCGAT. MAGD. GVBERNATORE
CETERA
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO I.V.D.

SACRI TRIBVNALIS QVOD EST IN DVCATV
MAGDEBVRGICO CONSILIARIO REGIO
ELOQVENTIAE AC ANTIQVITATVM
PROFESSORE ORDINARIO


RESPONDENTE

HENRICO WILHELMO HOLTZENDORFFIO

BEROLINENSI

placidæ Eruditorum Disquisitioni subiicietur
D.XIX.Iulii MDCCXH.L.Q.C.

HALAE MAGDEB. Litteris CHR. HENCKELII Acad. Typ.



A SON EXCELLENCE,
Monseigneur
JEAN CASIMIR
COMTE DU ST. EMPIRE
ET DE WARTENBERG,
GRAND CHAMBELLAN ET PRE-
MIER MINISTRE DETAT, GOUVERNEUR
HEREDITAIRE DE TOUTES LES PRINCIPAU-
TÉS, COMTÉS, SEIGNEURIES ET TERRES DE-
PENDANTES DE LA SUCCESSION D'ORANGE,
GRAND MAITRE HEREDITAIRE DES POSTES,
GRAND ECUYER, SUR - INTENDANT DE TOUS
LES BAILLAGES DE LA CHATOULE, MARECHAL
DU ROYAUME DE PRUSSE, PROTECTEUR DE
TOUTES LES ACADEMIES ROYALES,
CHANCELIER ET CHEVALIER DE L'ORDRE
DE L'AIGLE NOIRE
DE
SA MAJESTÉ LE ROY
DE PRUSSE.

Monseigneur,



Es raisons principales, qui m'inspirent tous les jours une très humble Vénération

tion pour VOTRE EXCELLENCE, me doivent sur tout encourager à présent, à LUI offrir ce petit ouvrage. Car, outre l'accueil favorable & les marques d'une Clemence singulière, dont ELLE a honnoré ma famille; c'est à la continuation de SA Bienveillance envers moy en particulier, depuis le tems, que je me trouve dans la celebre FRIDERICIANE, que je dois les premices de mes travaux. La matière de cette Dispute contient la défense d'un JurisConsulte de l'Antiquité nommé TREBATIVS, dont la réputation & les sentiments ont été imprudemment ternis dans le Corps du Droit Civil, par d'autres de son

X 3 mé-

métier; mais qui s'étoit d'ailleurs
acquis par sa prudence l'Estime de
deux grands Capitaines & Empe-
reurs des Romains, JVLES CÉSAR
& AVGVSTE. Si ces Theses étoient
purement scholastiques; j'aurois
tort de les consacrer à l'Illustre
Nom de VOTRE EXCELLEN-
CE, & elles seroient infiniment in-
férieures au haut Rang qu'ELLE
tient dans le maniment de l'Etat
de **NOTRE SAGE ET PUIS-
SANT MONARQVE**. Mais
comme TREBATICVS étoit en mê-
me tems Chevalier Romain, Hom-
me de guerre, & outre cela consi-
deré, tant du peuple, que de ces
deux grands Princes, comme un
Oracle de la puissante Ville de Ro-
me;

me; personne ne trouvera mal à propos, que je l'aye défendu contre les accusations mal fondées de quelques Scavans, & que je supplie VOTRE EXCELLENCE d'accorder SA haute protection à ce plaidoyé. Qu'il VOUS plaise donc, MONSEIGNEUR, d'agréer ma première Entreprise dans les Lettres, & si mon impuissance ne m'a point permis de surmonter la difficulté de son sujet; j'espére au moins, que VOTRE EXCELLENCE secondera par SA Clemence le zèle d'un jeune homme, qui commence par là, à se rendre un jour utile à son SOUVERAIN & à sa PATRIE. C'est dans cette esperance, que je fais sans cesse des Voeux pour

pour la prospérité de VOTRE EXCELLENCE & de SON ILLUSTRE FAMILLE, & que je mets toute mon attention à LUI témoigner, que je ferai toute ma vie avec une soumission entière & un très profond Respect,

**Monseigneur,
DE VOTRE EXCELLENCE,**

Le très humble, & très obéissant
Serviteur

HENRY GUILLAUME HOLTZENDORFF.

Nobilissimo & non vulgaris eruditionis laude ornatissimo
Viro Juueni,

DN. HENRICO WILHELMO
HOLTZENDORFFIO,

Berlinati,

Charissimo quondam Auditori,
Nunc Amico

Sub Doctissimi GVNDLINGII Praesidio
publice de TREBATIO disputatuero
gratulatur

IOH. MEIER;
in Regio, quod Berolini est, Gymn, Prof.

Q Valis gemina nitet vitreis collata lapillis,
Sideribusque inter-Cynthia clara-micat:
Qualis & in medio virgulto extenditur arbor
Radice & foliis luxuriosa suis:
Talis eras, quando nostræ concreditus arti
Formabas animum Palladis arte rudem.
Tunc memini in nostrâ t' sic florere corona,
Esse ut nostri gloria certa chori.
Non magis ex lato cultor sibi sperat agello,
Quam fuit ex studiis spes mihi certa TVIS.
Neue laborantes spe frustrareris inani:
Ad votum optatis fructibus yber eras.
Tunc fuit unus amor doetas coluisse Camoenas,
Ut scires, Lariam & Gracia quidquid habet.
Entheus ardor erat fonte hochaurire: nequibat
Explere immensam Castalis vnda sitim.
Quid mirum? Confusa tibi si pectore Virtus
Nunc simili in Musas mente animoque fuit;

At-

Atque nouis famam in maius conatibus auget,
Quando præ nostro lumine maius habes.
Ex quo namque suis TE donis HALA beaut,
GVNDLINGI ex cornu diuite cuncta capis.
Hoc certo Ductore viis felicibus instas:
Hac nitida in tenebris lampade quæque vides.
Hoc Duce, fama refert, doctum certamen inibis;
Hoc Duce cum doctis congregiere Viris.
Egregiis applando TVIS conatibus; & mi
Partem aliquam in VESTRIS laudibus esse puto;
Et, nisi vana reor, tanto sub PRAESIDE, vinces:
Et TIBI per TE, olim gloria maior erit.

Scribent. Berolini d. 12. Iulii
MDCCX.





PRAEFATIO.

Non dubito fore permultos, quibus hæc de Trebatio dissertatio displiceat, vt pote ab Bartoli, Baldique deliciis steriliis admodum, atque vacua. Invaluit enim, nescio quod, insanabile cacoëthes, quo præclara etiam ingenia infecta ad veterem denuo barbariem prolabuntur, quæ Duareni, Balduini, Connani, Cuiacii, aliorumque præstantissimorum Iureconsultorum luminibus quadantenus a finibus iurisprudentiae est depulsa. Adeo sunt res humanæ, vt adultæ senescant, senioque confectæ intereant. Quæ eo scribo, vt intelligent isti homines, quantum ab elegantia absint, eoque, quod sapientissimi viri tenuerunt, proposito declinent, atque aberrent. Error enim est, & presumta quædam opinio, in ipsis lacunis inueniri litterarum, rerumque præstantium aliquam copiam. Conclusiunculæ, fateor, contortulæ, atque minutulæ adsunt, sed quæ e veterum disciplina non tam

*

tam educuntur, quam in illam inferuntur. Quod si iuris ciuilis, quod appellamus, corpus proiiciendum plane, aut tenebris sepeliendum putarent barbari, paullo tolerabiliores viderentur: sed cum illud extollant, multisque verborum præconiis celebrent, lepidi profecto sunt, atque faceti, qui, quod laudent, vix euoluunt; quodque euoluunt, non intelligunt; atque ex eo, quod neque percipiunt, neque sollerti cogitatione comprehendunt, fallaces consequentias necunt. Quod an ita se habeat, verumque sit, ii cognoscent, qui Commentarios iuris scrutantur, perleguntque. Nam si Antonii Fabri Rationalia tollas; si Mornacium excipias; si Giphantium, atque Wissenbachium; si Alciatum, Panciollum, & Gallos, Hispanosque nonnullos parumper seponas, quis est, quæso, qui legum litteram, sensumque sectetur? qui non ex glossa, eiusque auctoribus, atque defensoribus sibi laudem, nomenque conficiat? Itaque laudandi in primis sunt clarissimi, atque sapientissimi in Belgio viri, Gerardus Noodius, & Cornelius Bynckerhœckius, qui materiam ab aliis occupatam merito refugientes nouam quæsivierunt, & latiores laudi suæ in explicandis antiquorum Iure-consultorum decretis responsisque terminos, finisque produxerunt. Quorum ratio, si recte perciperetur, non haberemus, credo, iurisprudentiam

am adeo mancam , 'mutilam , atque confusam .
Quæ enim confusio est, permiscere dissimilia iura,
res Saxonum, Allemannorumque velut abiecas,
& quodam aceruo cumulatas infarcire legibus Ro-
manis ; hasque illis, ac illas rursum maximorum
Pontificum canonibus? Et hoc tamen praxin di-
cunt: rectius farraginem, quæ ex pluribus satis pa-
buli caussa datur iumentis. Si quid recte scio, Ro-
mani certe iuris artem exquisitam , ac satis distin-
ctam professi sunt; tametsi surrexerint sectæ, non
nullæque in iis familijæ , quæ in quibusdam capitil-
bus, atque caussis ob Philosophiaæ , quam sunt se-
ctatæ , diversa placita , opinionum dislonantiam
excitauerint. Quæ vna cum illa iuris arte omnino
obseruandæ sunt, atque memoriae imprimendæ, ne
quis litem prægrandem cogitatione depingat, quæ
futilis, itemque leuiuscula sæpe λογοπαχία est. Un-
de aliorum clamoribus nequaquam mouemur:
quasi otiosam, ac commentitiam , itemque obso-
letam sapientiam sectaremur, quæ ab hodiernis
rationibus aliena sit, neque in mores irrepserit.
Quomodo enim ea, quæ ad disciplinam iuris rite
comprehendendam pertinent, otiosa possunt vo-
cari ? qui obsoleta, quæ frequentibus itineribus
præstantes , atque egregii viri , vtpote Antoni-
us Augustinus, Hottomanus, Cuiacius iniue-
runt? qua ratione commentitia, quæ statum rei

Romanæ, ex qua legum , quas colimus , abundantia profluxit, illustrant? Post hanc diligentiam , non repugno, aliquid amplius circa Germanorum simplices mores declarandos suscipiatur, ne Schilterus , quantumvis acutissimus ICtus, solus sit , qui ad illam gloriam contenderit, eamque veluti desertam prudenter occupauerit. Ira vero ordinatius , puto , incessuri essemus , magisque distinetè , atque distribute ; quamvis illi , qui tamquam canes ex Nilo biberint , festinantesque cœcos parere catulos malunt , methodum , quam præscribimus , vix unquam sint probaturi. Sed horum tamen auctoritate neque nos stabimus , neque Testa ; neque nos cademus , neque Trebatius ; quem ob plures caussas , quas in dissertatione produximus , defendendum suscepimus. Quod situ , Letor , audacius a me factum existimas , confidit , quam mihi concedis , adsigna : si recte , amori , quo bonas artes complecti soleo , atque Vale.

§. I. Per.



§. I.



Erit net non tantum ad

Zenonis, sed & Epicuri (a) adseclas Caius (b) Trebatius Testa (c) ICTus, nullis, quod sciam, maioribus illustris, Eques tamen Romanus, ac Ciceroni per familiaris. Existimauit *Vdalricus Zafus*, (d) eum insigni inter optimates dignitate eluisse, & Pompeianas partes secutum Cæsari fuisse contrarium: quod merito a *Bernardino Ruilio de Vitis Iure* consultorum (e) confutatum est, atque reiectum. Obtinuit is potius Cæsaris fauorem, atque gratiam singularem cum merito suo, tum commendatione Tullii (f) admodum insigni.

- (a) Trebatium Epicureum fuisse ex Ciceronis epist. XII. Lib. VII. elucet. Indicauit, inquit, *mihi Panfa meus Epicureum te esse factum*. Inde *Gassendus de Vita & moribus Epicuri Oper. Tom. V.* p. 188. eum in Epicuri sectatoribus numerat: quod *Menagius* velut singulare quiddam in suis Amœnitatibus iuris annotauit: quamuis neque nouum sit, neque singulare. Menagius enim post *Gassendus*,

A

sens

C. TREBATIVS TESTA ICT.

sendum vixit. Sed indicat tamen vocula *factum*, in alia olim schola Trebatium vixisse; quin suppetunt exempla, vnde Stoicum fuisse licet colligas.

- (b) Auli prænomen ei tribuisse quosdam *Leuinus Torrentius* auctor est in Not. ad Horatii Satyram I. Lib. II. Hi vero a veteri Flacci interprete errorem videntur traxisse.
(c) Etsi *Torrentius* Teste cognomen Trebatio adsignat, subdubitanter tamen *Rufionis* etiam adiicit. At *Rufio*, de quo apud Ciceronem Epist. XX. Lib. VII. vel filius eius fuit, vel gentilis. Posterior in lapide se inuenisse *Manutius* putauit; cuius inscriptionem *Gruterus* in æterno opere recensuit: Tullius autem ep. XXI. diserte nostrum Testam vocat.
(d) Comment. ad tit. ff. de *Origine iuris*. Si *Zafius* Ciceronis epistolas tantum volitante oculo perlustrasset; tam absonta, ac inficeta numquam scripsisset.
(e) p.m. 269. edit. Rom.
(f) Lege in primis ep. V. Lib. VII.

§. II.

Cum enim tunc Gallias Cæsar cum imperio tenueret, Trebatius litteras a Cicerone sibi datae ad illum detulit; ut aliquo ornamento, commodoque donatus domum aliquando opimior rediret. Ipse Tullius eiusdem iam rebus meliorem afferre conditionem studuit (g); cum se Pompeio Magno annona per omne imperium praefecto legari passus esset. Sed deerat temporis opportunitas ad ea perficienda; videndumque erat, si qui motus materiam crescendi, occasionemque maioris for-

tunæ

tunæ indipiscendæ egenti (h) Trebatio aperirent. Fa-
ctum igitur est, vt id, quod exspectauerat a Cicerone,
inueniret in Cælare: cui festiuitas ingenii, & iuris, qua
pollebat, scientia (i) arrisit. Hic ei primum Tribuna-
tus commoda, hoc est, largissimum stipendum dento
militiae labore adsignauit (k); sed quod tamen Treba-
tius præpropera quadam festinatione contempsit (l). Un-
de molli eum brachio reprehendit Tullius; si quidem
istud molle dicendum est, quod stultæ labem, atque
maculam impingit: vocat enim is Trebatium periculo
Cornelii præceptoris stultum (m).

(g) Ita enim ille in allegata epist. V. C. Trebatium cogi-
tar am quocumque exivem, mecum ducere, vt eum
queis omnibus studiis, beneficiis quam ornariſſimum
domum reducerem.

(h) Pertinet huc locus Tullii ep. X. Lib. VII. Legitu-
as litteras, ex quibus intellexi te Cefari nostro
valde IChum videri. Cefarem vero saepius con-
suluisse Trebatium XI. epist. ostendit: *Consuli
quidem te a Cæsare scribis; sed ego tibi ab illo con-
suli mallem.*

(i) Habuit quidem paternas possessiones Velia, vt est
in epist. XX. quas ne venderet admodum fuaſe.
Tullius. Ceterum multa ad equestrem dignita-
tem sustinendam deficiebant. Quamobrem par-
simoniae studuit, & in palimſesto, hoc est in mem-
brana, seu charta deleſtitia ſcripſit, (epift. XVIII.)
vt ſumtibus parceret. Cum igitur Balbus Cice-
roni retulifret, Trebatium diuitem fieri, dubitauit,
vtrum bene nummatum futurum dixerit more Ro-
mano, an more Stoicorum, qui omnes esse diuites
adſirmant, qui cœlo, & terra frui poſſunt. (epift.
XVI.)

C. TREBATIVS TESTA ICT.

XVI.) Ex quo temere conclusit Chriſt. Otto a Baekelen de diuersis familiis ICtorum p. 17: Trebatium Stoicæ ſectæ fuille addictum. Nec enim ex mente Trebatii, ſed Balbi, qui diſciplinam Zenonis fecutas eſt, Cicero loquitur. Itaque n̄ alia inuenirentur argumenta, quæ eum Stoicorum claffi accenſendum ſuaderent, perpetuo utique Epicureus fore dicendus. Eſt tamen veriſimile Ictum maluifæ a Cæſare consuli, quam inaurari. (Epift. XIII.) Sed hoc diſuafit ei ad rem attentus amicus, qui vt facultates suas augeret, & commo- dis ſuis inuiigilarer, etiam atque etiam eum monuit. (Epift. XI.)

(k) Epift. VIII.

(l) Haud ſcio, cur contemferit eiuscemiodi emolumentum noster. Num probro ſibi duxit, vt frueretur ſtipendio, & bellicos tamen labores ſubterfugerer? At Tullius ad vim faciendam Trebatium, ait, adhiberi ſolere (epift. XIII.). Puto igitur hunc primum urbis desiderio duſtum de reditu cogitasse; nec Treuiros, nec Britannos, nec Gallos laceſſere voluiffe. Vt ſic existimem existola XVII. facit. Nam primorum mensum, inquit Marcus, litteris tuis vehementer commouebar, quod mihi interdum (pace tua dixerim) leuis in urbis, urbanitasque desiderio interdum piger, interdum timidus in labore militari, ſepe autem etiam quod a te alieniſſimus, & ſubimpudens videbare. Non ita autem multo poſt militiam firmo animo tulit, vt decet virum forte, & conſtantem. (Epift. XVIII). Vnde intelligi potest, quare eum nonnulli virum militarem, nonnulli Ictum appellauerint.

(m) Epift. cit. VII. Ex eo inepte quidam inferunt; Tre- ba-

batum in iuris cognitione proxime absuisse a stultitia. Vbi enim aliquid de iuris scientia inspergitur? Fallor, an hoc potius dicere vult Cicero, homines imperitos culpam in Cornelium præceptorem reiecturos esse, vt pote qui Trebatio una cum iuris doctrina etiam prudentie præcepta instillare debuisset. Potest enim aliquis insigni iuris pollere cognitione; & in aliis tamen vita humanae actibus iudicii nullitate laborare. Deinde ambiguum adhuc est, vtrum noster tam inepte ac absone se gesserit. Forte ad patrios redire lares voluit. Est ne hoc tantum crimen? aut consilium adeo infusum? Homines in foro, ac scholæ puluere educati ad militares labores non semper fatis idonei inueniuntur. Ciceroni vero vitio dari nequaquam potest, quod eum parumper arguerit, quem alias de meliori nota commendauit. Nec enim amicus facile amicum irritat, homo ad iocos proclivius hominem a salibus non abhorret.

§. III.

At enim vero mutauit breui ICtus mentem, & militarem egit; & in prouincia cum Cæsare astum, frigusque constanter tullit: donec in intimam familiaritatem dñi imperatoris, quem grauissimæ occupationes distinebant, admitteretur. Nam eti in Britanniam (n) non erat cum Duce suo prosector: tamen is in Gallia hostibus vndique circumfusus excubias agebat. Credibile est, etum maris timuisse fluctus, ac navigationem, sine qua Britanni non poterant debellari. Samarobriua (o) a mœnius viuebatur. Neque enim omnes terrestri milite

A 3

tiæ apti naualem peritiam tenent. Id paucis datum est. Multi, qui vitam suam in arido contemnunt, eamdem lignæ vix credunt fabricæ, vtpote quæ gnarum custodem, quæ ventos secundos, quæ portum opportunum, quæ omnem denique exigere videtur fortunam. Ergo in Gallia mansit Trebatius, quam intito Senatu per decennium retinuit Cæsar. Cum hoc in Italiam remigravit; eiusque perpetuo partibus contra Pompeium affixus duravit. Tullius contra deesse Pompeii saluti veritus, cum ille aliquando non defuerit suæ; vel officio, vel fama bonorum, vel pudore vietus, vt in fabulis Amphiareus prudens, & sciens ad pestem ante oculos positam est profectus. (p) Hoc Dolabella gener sèpius dissuasit: (q) hoc Cælius periculosem (r) censuit: ab hac re Trebatius (s) illum sèpius dehortatus est. Sed erui istud non potuit Ciceroni, qui stoica quadam constantia perire potius cum Pompeio statuebat, quam vincere cum Cæfare, qui statum reipublicæ timebatur subuertere. Id eum male in primis habuit, (t) laborasse Cæarem, vt secum omnia belli commoda communia haberet; sed laborasse non per se, non per Dolabellam, non per Cælium; sed per Trebatium, quamquam amicūm. Vrebant hoc virum ambitiosissimum a Cæsare nihil litterarum ad se fuisse perscriptum; cum tamen ille ad Pisonem socerum, ad Seruum sui studiosum scripsisset. Itaque nihil aliud respondit, quam se neque officio, neque dignitati suæ defuturum. Id ipse Tullius Attico suo significauit; vt est in litteris ad eum datis; unde plura de Trebatio licet depromas. Manus enim hic pedibusque obnixe omnia faciebat, vt Ciceronem cum Cæfare in gratiam reduceret; qui sicuti fin-

singulari follertia res suas agebat; ita fortunam cum primis in manibus habere videbatur. (u)

- (n) Eam ob caussam timiditatis Trebatium per iocum Tullius arguit epist. X. Lib. XII.
- (o) In Picardia Samara fluuius est; nunc Somme. Huic adiacet caput Ambianorum Samarobriua, nunc Amiens.
- (p) Lib. VI. ep. VI. sect. 10.
- (q) Vid. ep. IX. Lib. IX.
- (r) Lib. VIII. epist. XVI.
- (s) Pertinet eo epist. XVII. Lib. IX. ad Atticum. Trebatium, infit, V. Kal. quo die has litteras dedi, expeditabam. Ex eius nuntio Matique litteris meditabar, quo modo cum illo loquar. Per ILLVM intelligitur Cæsar, quo nihil vñquam difficilis cogitauit Cicero. Vid. ep. VIII. ad Att. Lib. IX. Inter ea magna sua interesse putabat Cæsar coniungi secum virum maximæ auctoritatis. Igitur istius iussu, Seruius Sulpicius congressum postulauit, idque per Trebatium (epist. I. Fam. Lib. IV). Ipse Trebatius vero per litteras non solum cum amico egit; verum etiam valetudine licet adflictus ad eum, ut causæ suæ inferuiret, iuit.
- (t) Tora epist. XVII. Lib. VII. ad Atticum legi revertit.
- (u) Retulit iam Baclerus in notis ad Velleii Paterculi lib. II. cap. LVI. illam Ciceronis intemperantiam inter insignes errores politicos; qua Pompeii virtutes immodice extollens; de Cæsare sepe acerbius paullo sensit, scriptisque. Honesti animi est tueri Rempublicam, ac defendere libertatem, si possis. Temporum difficultas laxare inter-

terdum sinus iubet; aut saltē obliquare. Hæc imprudentia eum morti tradidit, posteaquam Antonii memoriae per Philippicas æternas inuulserit notas.

§. IV.

Occupata deinde per Cæsaris tyrannidem republika, receptoque Cicerone in gratiam, parum aberat, quin Trebatius principis fauore, atque gratia excideret. Nam cum is Cæsarem pro æde Veneris sedentem admonuisset, vt adeunti cum pluribus honorificentissimisque decretis senatu*m* adfusgeret; adeo istud ægre tulit, vt minus familiari vultu Trebatium respexerit; verum obseruauit Suetonius (x) præcipuam, & inexpiablem inuidiam hinc contra Iulium fuisse enatam.

(x) In vita Cæs. cap. LXXVIII. Noua etenim imperia moderatione potius quam superbia continentur. Debuisset Cæsar cum libertatem rapuisse, aliquam tantum Senatoribus umbram relinquere, neque voce se impotentem probare neque factis. Augustus modestiae commodissimo freno pugnantes, iamque admissos cohibusit.

§. V.

Non ita multo post quam variis vulneribus confessus cecidit Cæsar, Antonio rempublicam turbante, Cicerone libertatem desperante, Trebatius iuri dicendo operam dedit, temporibusque Octaviani eam nominis gloriam consecutus est, vt eiusdem auctoritate, atque suauis codicillorum (y) usus antea insolitus in rempublicam, in forum, ac ipsam denique romanam ciuitatem fue.

fuerit inductus. Subit igitur mirari, quî factum sit, vt Trebatius a pluribus scriptoribus male habitus penda-
tur vili; & velut ineptus reiiciatur, ac contemnatur
ICTus? Fateor meipsum aliquando præsumta eiusmodi
opinione abreptum, ita sensisse: eoque inaudito con-
demnato aliorum auctoritati atque suffragiis subscriptis-
se. At cum in originem rei accuratius inquisiuissimè,
deprehendi tandem, solum *Heinsum* in illo de Satyra
Horatiana libello tanti strepitus, tantique tumultus au-
torem fuisse, atque caussam. Aegydius Menagius, vir
clarissimus, in iuris civilis Amicentatibus id olfecisse vi-
detur primus, quamquam nec defenderit Testam, sed
tantum posse defendi (z) statuerit.

(y) Reservatur hoc a Iustiniano in Institutionibus prin-
cipio de Codicillis; isque tam maxima auctorita-
te inter ceteros viros sapientes præluxisse dicitur;
quos in consilium adhibuit Augustus, vbi codi-
cillis suum constare robur voluit. Istud autem il-
lepidum plane est; codicilos Romanam potius
Iurisprudentiam corripiisse; proque eorum vnu-
nullas Trebatio gratias deberi. Frustra enim con-
tra rem testamentariam differitur, quam semel
probarunt Romani; suæque Reipublicæ statui ac-
commadum iudicarunt. Sat est nobis, Testam
ab Augusto tanti esse habitum, qui huic imprimis
negorio expediendo admoueretur.

(z) Verba eiusdem recito p. 80. *Longe ab ea opinione*
aberrat Heinsus, qui in dissertatione de *Satira Hor-*
atiana scripsit, *Trebatii sententiam in Pandectis*
plerumque reiiciit. *Id vir doctus adductis locis a-*
liquot ex Pandectarum libris confirmare conal a-
tur: quibus & nos alia nonnulla addere possemus.

B

Sed

Sed tamen longe plura sunt, in quibus Trebatii sententiam sequuntur ceteri iuris interprætes: & omnino falsa est Heinßana obseruatio.

§. VI.

Nos vero cum tuebimur quoad licetum. Nec enim fas est, ut ille imperitorum iudiciis expositus defensionem non habeat; qui tot hominibus patrociniis suis addixit: nunc autem potenter, atque efficaciter se tueri amplius non potest (a).

(a) Scribunt sapientissimi Magistri pro Epicuro, aliisque, quibus aliquid maculae sine causa adhæsit, apolo-gias: Pro Trebatio, ut prehendatur calamus, nihil itidem impedit. Quid enim fecit? quidem commeruit? Cœcus hic cœcum sceleratus est: imperitus imperium; Et publice tamen interest, ut veritates, quæ minimi a nonnullis sunt, retegantur, ac in omnium oculis constituantur.

§. VII.

Primaria accusatorum ratio est. Ciceronem Trebatium ironice valde Iureconsultum appellasse; in re militari multo cauorem, quam in aduocationibus (b): eidem modo inscitiam; modo ignauiam; modo superbiam, ac animi quamidam elationem obiecisse: rursus ætate senem, simplicitatem puerum (c) vocasse: rursus titulo Iureconsulti Britannici (d) insignuisse: & quæ sunt eius furfuri plura; quæ confutatione prolixa vix indigent.

(b) Lib. VII. Ep. X.

(c) Lib. VII. Ep. XVI. In equo Troiano esse seu in ex-
tre-

tremo, sero sapiunt. Tu tamen mi Vetus non sero.
Primas illas rabiolas sat fatus dedisti. &c.

(d) Lib. VII. epist. XI. add. Lib. II. ad Q. Fr. ep. XIV. ad Fam. epist. XIII. & XVIII.

§. VIII.

Quid enim magis potest esse ridiculum, quam iocos, & sales, quibus vobis est in amicum Tullius, conuertere in verum, atque serium? Pueris sane notum est, nihil his, quas ipsi allegamus, epistolis festiuus esse; nihil familiarius; nihil itidem iocosius (e). Quod si illae quas exarauit Trebatius, legi possent, quid non de Cicero fingerent, garrireque imperit; qui tantummodo clamant, & anserum instar nocere non possunt?

(e) Notes ex Epist. XI. lib. VII. ista verba: *Mira persona induci potest Britanniæ Icti. Ilac ego non rideo, quamvis tu rideas: sed de re severissimum ut soleo iocor.* Adde epist. XIII. *Vt ad rem redam, te iſſic, iniustum non esse, vehementer gaudeo: & ut illud erat molestum, sic hoc est incundum. Tantum metuo ne artificium tuum tibi parum proficit. Nam ut audio, iſſic*

*Non ex iure manu consertum, sed magis ferro
rem repetunt.*

*Et tu soles ad vim faciendam adhiberi? neque est,
quod illam exceptionem in interdicto pertimescam,
quod tu prior vi armatis hominibus non veneris.
Scio enim te non esse procacem in laeſſendo. — Sed
alias iocabimur.*

B 2

§. IX.

§. IX.

Visque eo facile animaduertere licet, hos viros familiariter admodum cauillatos fuisse, ac iocatos, ipsumque Trebatium prouocasse (f) saepius Ciceronem, ut rebus seriis delicias iungeret, atque facetias. Ex his vero nunc eiusdem inimici inferunt peruerse, Tullium ex animi sententia spreuisse Testam suum, eumque indignis modis tractasse.

(f) Indicat id ipse Tullius epist. XIV. lib. VII. Sed haec iocati sumus, & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Idem Epistola X. Quod si in Britanniam profectus essem, profecto nemo in illa tanta insula peririor te fuisse: Verum tamen, rideamus licet, sum enim a te inuitatus &c. Igitur hoc loco preteriri non debet, tres olim libros de iocis Ciceronis, in quibus nimis quibusdam visus est, Tullium Tironem, eiusdem libertum conscripsisse; vnde Macrobius lib. II, Saturnal, cap. I. Cicero autem, inquit, quantum in ea re (de iocis loquitur) valuerit, quis ignorat, qui vel liberi eius libros, quos, is de iocis Patroni compositi, quos quidam ipsius putant esse, legere curauit? Eiusmodi salse dicta plena manu colligit Franciscus Vauassor de ludicra dictione p. m. 67. seq. qui demum his verbis concludit: Nec vero hunc eundem Ciceronem quidquam supra tot paginis locutum videmus in iocando, vel nimis præce, quasi cum matre Euandri fabularetur; vel nimis populariter, rusticique, perinde ac si cum Arpinate aliquo munice suo, aut cum Tusculano villico, Formianoue, ludorum otiosis diebus, garrisret. Nota est etiam Iani Passeratii de ridiculis Ciceronis præfatio; que Lutetia a. 1595. ex officiis

cina Roberti Stephanii prodidit. Radicula vero Adriani Turnebus peculiari commentario explanauit.

§. X.

At veniant modo, explicitque volumen VII. ac in eo epistolam V. vbi Trebatius singulari in iure ciuili memoria (g), summaque scientia familiam dicitur ducere (h). Ibi serio, & ad Cesarem scripsit Cicero. Cur illam reticent, & occultant? quid est, quod illos impedit? nescio, nisi hoc videam, eos male ratiocinari, & leuibus coniecturis totam causam superfruere; ac rerum grauissima argumenta non sine fraudis suspicione silentio obtegere. Quorsum referre lubet eiusdem Tullii proponam erga Trebatium animi significationem, qua Topica ei sua multa verborum vberitate, ac elegantia inscripsit, coequ tempore dedicauit, quo ab exilio ad urbem accedere cogitauit. In his vero cumulate satis explicauit; quenam locorum, vt vocant, in ipsa iurisprudentia utilitas sit; quiique ex Aristotelici denique libelli, quem verecunde Trebatius in Tullii Bibliotheca inspexerat, lectio ne in seueriores litteras fructus redundant. Dicivix potest, quanta humanitate, ac sermonis urbanitate eum docuerit: vt grati animi testimonium inde sumeret. Neque enim, vt volunt homines quidam admodum inficeti, constituis Testam proscidit; aut deridendum aliis propinavit; sed serio, atque ex animi sententia acutum, verecundum, scientem, simul tamen occupatum vocauit, ac dixit. Quod ad resellendas eiusmodi, quae sine auctore sparguntur, calumnias sufficiat (i).

B 3

(g) Ca-

- (g) Cae dicas, memoriae excellentis elogium ad verum laudem non permovere. Iuris enim prudentia experientia nitor; experientia memoriam fundamenti loco substernit: vt taceam ipsum Ciceronem memorie Teste insignem adiecisse scientiam.
- (h) Vide quid circa hunc modum loquendi notauerit Menagius l. c.
- (i) Elegans admodum epistola XIX. est, qua lib. VII. habetur: vnde eos in primis confutes licet, qui inficiant Trebatio sine ratione impingunt. Retulit in eadem quas habuit, Tullius causas, conscribendi Topica Aristotelea, que Rhegio ad Trebatium misit, vt attente & sepius peruvlueret.

§. XL

Sed bene habet. Faciam nunc aliud defensionis fundamentum. Quare, quæso, apud eundem Tullium Trebatius appellatur Scœnola (k)? Vtrum credendum imperitis quibusdam Criticis, qui pro Scœnola contendunt legendum sedulo? an antiquissimis standum Codicibus, quos Simon Boëius inspexit; quos probat Gronovius; & quos denique alii, itemque clarissimæ firmant rationes (l)? Et puto Trebatium non modo Testam; Sed etiam Scœnolam *καὶ εἰροχήν* fuisse nominatum, a studio iuris ciuilis, in quo Mutii Scœnolæ valde excelluerant. Hæc Pauli Manuuii, eadem Popme, non alia *Cellarii* sententia est (m).

- (k) Epist. XV. Lib. IX. ad Atticum.
- (l) Ipse Tullius ad Trebatium Lib. VII. ep. XXII. *Ego tamen Scœnolæ Testæ ad sensior.* Interlocutus aliqui voculam &; quod iuris, qua posuit, peritæ ne quid-

quidquam officit. Sufficit etenim Trebatum in eadem cum Scænola classe fuisse constitutum. Sane vero antiquissimi libri illud ET omittunt; idemque cognomen in Epist. XXIII. Lib. XIII. ad Atticum occurrit.

(m) In not. ad l.c.

§. XII.

Quid igitur? Ait Heinicus passim in Pandectis Trebatii sententiam vitari, itidemque reiici. Heinicus *Rappoltus* (n) sequitur, & eundem iudicari ab Horatio; ac optimum patrem *ignoramus* nominari adfimat. Verum haud scio, an posterius non sit commentitium? Petrus Gassendus, in suo de Epicuri Philosophia libro, Torrentius (o) ceterique Flacci interpretes, quod isti viderunt, non reprehendunt. Et ego mentirer, si illud, quod somniant, verisimile dicerem. Quis enim persuaderet sibi, Iureconsultum summa apud Augustum auctoritate pollentem tam contumeliose a Flacco ob juris inscitiam fuisse derisum, ac increpitatum? a Flacco? qui eorum in primis fauorem (p) aucupabatur, quorum commendatio ei interdum accidebat perutilis, & opportuna. Ita potius est, vt totum librum Satirarum secundum Trebatio honoris causa, quemadmodum vetustissimi habent Codices, dicamus, inscriptum; vtpote qui etiam ab Ammiano Marcellino Lib. XXX. cap. IV. in præstantissimis collocatur Iureconsultis. Quod, dum statuo, nequaquam tamen inficias eo, Trebatium a Poeta occulte petitum, eiusque mores urbane fuisse tactos, carptosque. Quid enim illa volunt sibi verba?

Ter

*- - Ter vndus
Transnanto Tiberim; somno quibus est opus alto;
Irriguumue mero sub noctem corpus habento.*

Nam cum finxisset Flaccus Testam confuluisse sibi, vt a scribendo quiesceret; consilium quidem approbavit, ceterum quo minus eo vii posset insomnia caussatus est, cuius tedium leniendo, haec sola scribendi voluptas sibi reliqua foret. Huic igitur malo dum denuo Trebatius medicinam parat, aptatque, ex suo ingenio ei suadet, vt aut natatu se defatigaret, aut, si id minus arideret, sub noctem bibendo somnum prouocaret. Has autem animi propensiones dudum in eo notauit Tullius, Trebatio perfamiliaris, & coniuandi quidem studium Lib. VII. epist. XX. (q) itemque XXII. (r) nataendi vero epist. X. (s) quas in notulis excerpam. *Quis vero incepit inde inferret Trebatium ob ingenii stupiditatem, iurisque imperitiam ea ratione a Venusino esse delusum, depexumque?* Nemo diligentius, credo, eam, quam allegauimus, Satiram Iano Rutgersio (t) examinauit, pensitauitque. Et hic autem, quod nos indicauimus, reperit; sed illam iuris ignorantiam neutiquam inuenit. Verumtamen, sac, Horatium veritatis adeo immemorem inertia labem nostro adspersisse: quis homini fingenti, ac omnia peruerse interpretanti prebeat tandem adfassum? Rerum testimonis opus est, non verbis acerbis, aut sale conditis, si quis ab doctorum virorum subfelliis remouendus, inque ignarissimorum ICtorum classe sit collocandus.

(n) Comment ad Horat. p. 245.
(o) Ad Sat. I. Lib. II.

(p) Ipse

- (p) Ipse enim fatetur; se inopem paterni & laris & fundi paupertate, qua nuncquam non audax est, fuisse impulsum, ut versus ficeret; eaque ratione ad summorum hominum gratiam adreperet. v. Epist. II. lib. II. In quo sua eum opinio neutiquam fefellerit. Ita enim in animum Mæcenatis suis se carminibus infirmavit, vt Epod. I. fin. ad cundem grato animo cecinerit:

Satis superque me benignitas tua
ditauit. Haud parauero,
Quod aut auarus, ut Chremes, terra premam
discinctus aut perdam vi nepos.

Plura in hanc rem collegit doctissimus Massonius in Flacci vita p. 72.

- (q) Ego a Sexto Fabio, Niconis discipulo librum abstuli
Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suuarem! me-
que docilem ad hanc disciplinam! Sed Bassus no-
ster me de hoc libro celauit; Te quidem non vide-
tur.

- (r) Illuseras heri inter scyphos &c.

- (s) Sed tu in re militari multo es cautior, quam in aduo-
cationibus, qui neque in Oceano natare volueris flu-
diostissimus homo natandi &c.

- (t) Editæ sunt a Petro Burmanno Lectiones Venu-
finæ Iani Rutgersii, quæ integræ antehac nusquam
prodiere. In his ille non tantum textui Horatia-
no egregiam medicinam fecit, verum etiam non-
nulla adeo argute, atque apposite explanauit, vt
nihil supra. Quæ ad hanc causam pertinent, repe-
riuntur p. 360. seq.

§. XIII.

Quæ obseruatio etiam contra Heinsium militat. Est
enim notum, de pictore non posse iudicare, nisi itidem

C pi-

pietorem: Heinlius vero non tantum omnis iuris, verum etiam seueriorum quarumcumque litterarum sere rudis est & ignarus. Quis igitur huic putabit adfidentendum? Sed examinabimus tamen pleraque, quæ in Pandectis de Trebatio occurunt loca; & in pluribus eiusdem probari, ac confirmari opinionem æqui rerum æstimatores animaduertent. Pro sequentibus certe sponsorem me constituo. L. vn. de offic. Quæst. l. 10. in f. de paœt. l. 18. §. 3. & 4. de dol. mal. l. 21. §. 1. de recept. l. 33. de rei vind. l. 9. de usuf. l. 5. de his qui effud. vel deiecc. l. 6. §. 6. de comm. diuid. l. 45. de emt. vend. l. 13. §. 22. l. 17. §. 2. l. 21. §. fin. de act. emt. l. 6. §. 1. de Aedil. edict. l. 56. §. fin. de euict. l. 64. de donat. int. V. & Vxorem l. 33. de test. tut. l. 13. §. f. de hered. instit. l. 39. de vulg. & pup. subst. l. 11. de iur. delib. l. 5. & l. 30. de leg. l. 1. 30. §. 2. de leg. III. l. 16. de trit. leg. l. 4. l. 12. l. 25. & 26. de instr. & instr. leg. l. 22. de pecul. leg. l. 3. §. 2. de pen. leg. l. 11. de supell. l. 14. de reb. dub. l. 8. de cond. demonst. & cauiss. l. 9. §. 1. de damm. inf. l. 11. §. 6. de aqu. & aqu. plau. l. 3. §. 11. l. 39. §. 4. de stat. lib. l. 16. & l. 41. de A.R.D. l. 3. pro donato, l. 4. pro suo, l. 2. de cloac. l. 1. §. 7. quod vi aut clam, l. 4. de lib. hom. exhib. l. 1. de arbor. furt. cœf. l. 17. §. 2. de iniur. l. 27. de capt. & postlim. reuersi. Etsi namque quædam interdum limitatiuncula adiicitur, non est tamen putandum, eius propterea opinionem sperni atque reici. Non est quisquam adeo sagax & prouidus, ut omnia exempla animo, ne dum verbis queat complecti. Ea ratio si valeret, crederem sane, omnes omnium gentium Iureconsultos posse confutari, vellicari, culparique.

§. XIV.

§. XIV.

Ex his autem illud primum patere arbitror, non leuiter deceptum fuisse Heinsum, dum in plerisque Testæ placita, ac decisiones improbari, ac reiici dixit. Non est ita profecto. Occultantur multa, vt vidimus, quæ, quo studiosius opprimantur, & abscondantur, eo magis eminent, & apparent. At Antistius Labeo, fateor, sæpen numero a Trebatio dissentit: discipulus (u) a præceptore: Stoicus (x) ab Epicureo: homo ambitiosissimus, & interdum vecors, vt apud Gellium (y) describitur, a viro optimo, & bono ciue (z), hoc est, Testa. Laboni lauolenus non raro calculum adiicit, immodico Proculianorum amore abreptus; nec prægnantibus satis, vt fit in his turbis, rationibus semper intructus. Nos omni auctoritate seposita rem ipsam considerabimus, nec quid Antistius, & Celsus, quid Paulus, & Vlpianus, aliqui iuris antiqui auctores senserint; sed quid veritati maxime sit consentaneum, circumspiciemus: quamquam non sit diffitendum quosdam Iureconsultorum verbis potius quam reapse inter se discordare; nonnullos concisis loqui, aliquos enarratius, multos limitationem, quam alii omiserunt, addere; & quod generatim possum est, speciatim magis declarare, ac illustrare: vnde imperitiores dissidium exsculpant, & nescio, quam magni momenti controuersiam (a).

(u) L. 2. ff. de orig. iur. §. 47.

(x) Vid. Christ. Otho a Bœckeln de diuersis familiis vet. ICt. p. 16.

(y) Lib. XIII. Noct. Att. cap. XII. Est quidem hoc elo-

gium ab Ateio Capitone, Labeonis æmulo, profes-

C 2 etum;

etum; Sed in se tamen a veritate haudquaquam alienum. Neque enim is prudentiae laudem mere-
ri videtur; qui stoica contumacia contra torren-
tem nixus Augusto jam Principe, & Rempublicum
obtinente nihil ratum pensumque habuit, nisi quod
iustum sanctumque in Romanis antiquitatibus le-
gislet. Cui accedit, quod fiducia doctrinæ elatus
peculiarem Iurisprudentiae scholam affectauerit,
spernendo vetera, sectando noua; nec meliora
semper; sed interdum peiora. Vnde adhuc du-
bium est; vtrum Horatius ob priorem, an posterio-
rem causam insanum dixerit?

(z) Vid. Cic. epist. ad Attic. lib. X. ep. I.

(a) Differuit nuper Leyserus sub Bergero ICto Witte-
bergenfi Cl. de Logomachiis Iureconsultorum; sed
differuit breuibus. Tetigit nonnulla Werenfelsius
in suo de Logomachiis libello. At restant plurima;
vnde integer, simul ac insignis enascatur tractatus.

§. XV.

Age igitur, videamus pugnas, & an iure culpetur
Trebatus spectemus. Ait Vlpianus l. 14. §. II. de relig.
& sumt. fun. *Si quis, dum se heredem putat parentem fami-
lias funerauerit, funeraria actione vti non poterit, quia non
hoc animo fecit, quasi alienum negotium, & ita Trebatius,*
*& Proculus putat. Puto tamen & ei ex causa dandam a-
ctionem funerariam. Redit eo tota quaestio, vtrum actio-
nen funerariam habeat, qui se heredem putans funera-
uit, & sumtus fecit. Trebatius de eo, quod est summo
iure, respondit. Nam qui animo proprium negotium
gescit, non alienum, is funeraria vti non potest, vt pote
quæ cum negotiorum gestorum actione in plerisque*

con.

conuenit. Atqui hæc animum alium sibi obligandi requirit: is vero, qui se heredem putat, alium obligare nec potuit, nec intendit. Igitur Vlpianus heredi falso vtilem concessit: Trebatius directam negauit. Ita nulla dissensio est. Sed quare Vlpianus, inquis, vtilem dedit? Et opinor, quia heres putatiuus aliquid praestitit, nec funus sine sumtu curavit. Ut is careat re sua, expensasque bona fide factas perdat, durum videtur, ac penitus inhumanum. Itaque ex causa actionem funerariam permisit: causa vero dationem seu præstationem significat. Vid. Ant. Fabri Rational. ad h. l. qui adeo æquum in hac se controvuersia ostendit; vt legentibus facile patescat, eum nobiscum consentire; itemque vinueriam tanti non putasse, vt Testa propterea antecessorum numero sit expellendum.

§. XVI.

L. i. §. 41. de deposito nouæ discordiae ansam dedit. Si cista signata deposita sit, virum cista tantum petatur, an & species comprehendendæ sint? Et ait Trebatius cistam repetendam, non singularum rerum depositi agendum; quod & si res ostensæ sint, & sic depositæ, adiiciendæ sunt & species vestis. Labeo autem ait, qui cistam deponit, singulas quoque res videri deponere: ergo & de rebus agere eum oportet. Quid ergo si ignorauerit is, qui depositum suscepiebat, res ibi esse? non multum facere, cum suscepit depositum. Ego & rerum depositi agere posse existimo: quamuis signata cista deposita sit. Species hæc est: depositus aliquis cistam bene signatam, & clausam; res singulas non ostendit. Quæritur igitur, vtrum de singulis rebus detur actio depositi?

C 3

Tu

Tu nota: finem vnicum & proprium depositi esse custodiā generalem: hoc vult deponens: hoc recipit depositarius. Iam fac, cistam bene fuisse clausam & redditam: num tu de singulis rebus actionem concedes? Pone, depositarium singulas res nec vidisse, nec species ostensas recepisse. *Menius* (b) ICtus clarissimus a Trebatii partibus stat. Nec enim depositarius amplius, quam ex sua scientia tenetur. Labeo contra. Sed Labeo errauit: aut *σοφιστῶς* incedit. Qui cistam, inquit, deponit, is res etiam in cista contentas deponit. Bene, si contentae fuerint; si viderit eas depositarius; si speciatim inspexerit. At hoc in quaestione est; deponens adfirmat contentas; depositarius negat, aut nescit, & signatam restituit. Pro quo militat coniectura? Itaque recte meo iudicio tres a se inuicem cauſas *Carpouius* distinguunt. Finge enim cistam initio bene clausam, & ob-signatam, postea, cum restituitur, apparere reseratam, eumque, qui depositam accepit, suspicione violatae fideli laborare; annon quæſo, rerum earum, quas in cista fuisse collocatas, ac inde abstractas adfirmat deponens, agi posse credendum est? Et credunt Doctores. Nam etsi quidam existimant, nondum satis esse probatum, res petitas illa cista fuisse contentas: tamen sufficere alii rectius putant, si illud aientis iure iurando probetur, ac confirmetur (c). Ut ita seuere cum depositario agatur, eiusdem improbitas facit, qua amici fidem fecellit. Secundum exemplum iam Trebatius in mente videtur habuisse; cum videlicet cista eadem ratione, vt erat tradita, ob-signata ac bene clausa fuit restituta. Neque enim tunc rerum posse agi, quas nec viderit, nec etiam speciatim receperit depositarius, iure reputandum est. Tertiū

tium vero ab omnibus eodem modo soluitur, ac merito deciditur: cum nempe non cistam tantum firmiter oclusam, verum etiam res sigillatim ostensas, ac vias depositarius recepit; eoque pacto & cistam, & inclusa fidei sue commissa, atque data fatetur. Itaque singula quoque, nisi aliae occurrant circumstantia, ab eo esse restituenda, quilibet facile deprehendit, ac ipse Trebatius consentit. Eo enim pertinent legis verba: *quod si res offendit sint sic depositae, adiicienda sunt & species NB. vestis.* Quæ cum non satis curate considerasset Labeo, & cum eo Vlpianus; factum est, ut & Menochius (d), & Carpzonius, (e) & Meuius, qui in scholis nostris familiam ducunt, diuortium ab illis facerent, & Trebatii partes sequerentur, quas etiam nos bona fide amplectimur.

- (b) Parte IX. Decif. LIV. LV.
- (c) Fac, deponentem esse virum honestum & spectatae fidei; alterum vero doli cuiusdam non immerito suspectum; quique presumtiones contra semilitantes per contrariam probationem elidere nequeat. v. Franzkius ad ff. depof. n. 65.
- (d) A. I. Qq. Lib. II. cas. CCVIII. n. 26.
- (e) Lib. II. Respons. LXIX.

§. XVII.

Lege 79. de contrah. emt. Iauolenus contra Trebatium insurgit. *Fundi partem dimidiā ea lege vendidisti, ut emtor alteram partem, quam retinebas, annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat.* Labeo & Trebatius negant posse ex vendito agi, ut id, quod conuenierit, fiat. Ego contra puto: si modo ideo vilius fundū ven-

di-

didisti, ut hæc Tibi conductio præstaretur. nam hoc ipsum pre-
tium fundi videretur, quod eo pacto venditus fuerat. Eoque
iure vimur. Rem ita comprehendere. Quæritur vtrum
ob pactum adiectum ex vendito agi fas sit; an præscrip-
ptis verbis. Iauolenus prius; Trebatius posterius tue-
tur. Quis sanior? Reète meo iudicio obseruauit Wils-
senbachius (f) diffensionem (g) in hac re inter veteres
iuris interpretes inualuisse. Plurimi illorum actionem in
factum seu præscriptis verbis dederunt; actionem vendi-
ti non item. Cum his Trebatius sensit. Iauolenus contra-
riam, qui Traiano imperante vixit, simulque floruit, opi-
nionem, sub conditione tamen, adoptauit. Nos quidem
pro certo nunc habemus, ex pactis in continentia adiectis
non dari actionē præscriptis verbis; sed eam quæ ex prin-
cipali contractu, cui fuerint adiecta, competit. Verum-
tamen olim dubitatum fuit: nunc res lege Maximini de-
cisa (h) est. Veteres, vt æquum, & bonum sibi videba-
tur, responderunt. Nihil ergo erroris Trebatio obiici
potest. Similiter Labeo (i) respondit. Sed additum est,
inquis: & hoc iure vimur. Iccirco iam Traiani, non
autem Maximini demum ætate vsus Trebatio contrarius
obtinuisse videtur: sed reète, ais, videtur. Neque enim
est ita. Hoc Tribonianus adiecit; & de suo infarsit: vt-
pote cuius æquo actio ex principali contractu in vsu fori
erat, ynde decidendi rationem eum sumisse vero non
absimile est. Nunc istud quæritur, vtrum etiam in con-
tractibus stricti iuris idem, vt in bonæ fidei negotiis ob-
tineat. Et in contrarium hic secedunt, ac connituntur
Iuris auctores. Nobis adfirmata cum Wissenbachio
atque Franzkio placet; quorum posterior (k) rem o-
mam curatissime expofuisse videtur.

(f) Di-

- (f) Disput. ad ff. XI. lib. II. S. XXXIV.
- (g) Patet id ex l. 12. ff. de præscript. verb.
- (h) L. 13. C. de pact.
- (i) L. 50. ff. de contr. emt.
- (k) Exerc. ad ff. de Contrah. E. & V. n. 423. seq.

§. XVIII.

At idem Labeo apertius a Testa præceptore fecedit in l. 1. §. 2. ff. de peric. & comm. rei vend. *Si dolium signatum sit ab emtore, Trebatius ait, traditum id videri. Labeo contra, quod & verum est. magis enim ne submutetur signari solere, quam ut tradere tum videatur.* Et istud quidem Heinsius in primis contra Trebatium virget; eumque ineptiae arguit, quod dolia signata pro traditis habuerit. Ego vero, Heinfi, te cum tui similibus ad Paulum ablego, qui tristes videri traditas inquit (1), quas emtor signasset. *An hic aliud, verba recito doctissimi Gothofredi (m) in trabibus, quam in dolis vini signatis? Si aliud, cur aliud? an quia vini dolia signari in alium finem possunt, quam ut tradita habeantur; tristes non possunt signari ob alium finem?* Paria sunt. Etiam tristes possunt submutari. Nam et si nonnulli existimant, Paulum non sine causa vocabulum *videtur adhibuisse*; non est tamen in ea obseruatione multum roboris: cum ex probatissimis latine linguae auctoribus notum sit, esse & videri æquali sœpe significatione inueniri, idemque valere, ac sonare. Notabilis *Ciceronis* locus est Academ. Quæst. Lib. IV. cap. XLVII. *Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia, qui primum iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt: deinde ita teneri, si sciens falteret, quod inscientia multa versaretur in vita: tum quite rimonum diceret, etiam quod ipse vidisset, queque iurati iudices*

D

ces

ces cognouissent, ut ea non esse facta sed videri pronuntiarent.
 Plura in hanc rem collegit Hotomannus (n). An vero symbolica tradi. io sit, vti cum aliis primū exigitauit Huberius, (o)merito cum illustri Strykio (p)nostro dubitamus. Quod enim symbolicum est, symbolum certe ab ipsa re distinctum requirit. At cedo symbolum, seu signum. Res ipsa signatur: itaque vera potius traditio erit. Pro Hubero si quid dici posset, hoc foret: in traditione symbolica non tam rem separatam, quam actum traditionem repräsentantem spectari. Signatio vero eiusmodi actus speciem videtur referre, atque habere. Interea vero ingenue fatemur, peruidendum esse ante omnia, quo animo signatio fiat. Nam si emtor consignauit ideo, ne fortassis alia submitti possit, nemo traditionem fuisse inductam adfirmabit. Et hanc *περίτασιν* in animo habuisse Labeo videtur. Trebatius autem de alio exemplo, eoque diuerso sensit. Quid enim, si finita, ac absoluta emtione rei alienatae signum esset impressum? Itaque neutra sententia absolute vera est; comparate vtraque subsistit. In dubio ad coniecturas, quas presumptiones I.C.Ti vocant, deueniendum est. Vid. Colleg. Iur. Arg. de A.R. D.

(1) L. 14. ff. eod.

(m) Ad I. Pauli.

(n) Differt. de inuestitura abusiva cap. II. §. 5.

(o) Prael. ad I. de R. D. §. 41. qui tamen paullo post ipse sibi scrupulum iniicere videtur.

(p) De I. Sensuum. Diff. II. cap. II. n. II.

§. XIX.

Nunc tandem cum Proculo, & Cartilio nobis res crit occasione l. 69. ff. de hered. instit. Cornelius & Me-
nius,

uius, vter eorum volet, heres esto: vterque vult. Trebatius neutrum fore heredem: Cartilius vtrumque: tu cui adsentias? Proculus Cartilio adsenior, & illam adiectionem, vter eorum volet, superuacuum puto: id enim etiam ea non adiecta futurum fuit: ut vter vellet, heres: vter nollet, heres non esset: quod si hi ex numero necessariorum heredum essent, tum id non frustra adiectum esse: & non solum figuram, sed vim quoque conditionis continere: dicerem tamen, si vterque heres esse vellet, virumque heredem esse. Hic ante omnia obseruandum existimo; in rebus testamentariis eorum potissimum sermonem exponendum esse ac interpretandum, qui naturae debitum exsoluerunt. Interpretatio vero sine coniecturis non est: nec coniecturæ sine formidine oppositi. Igitur non est mirandum, si dissentiant interpres, & in varias partes secedant. Sunt enim singulis suæ rationes, seu pondera. Verba nisi ambigua forent, nulla certe expositione egerent. Omnis autem ambiguitas variis sententiis fenestrat, atque fores aperit. Trebatius ergo hunc subesse putauit sensum: vnu si volet, heres esto, vterque si volet, neuter haeres esto. Cartilius, & Proculus contra vtrumque sine distinctione heredem pronuntiant, illam adiectionem, vter eorum volet, superuacuum existimantes. Verum tamen, quis nouit, annon vterque contrarium fuisset defensurus, si Trebatius Cartilius, & Proculi explicationem probasset? Vt verum fatear, mihi Trebatii sententia ad veritatem accedere proprius viderur. Neque enim ad *τὸν* velle respiciendum tantum est, sed ad particulam vter: *welcher unter ihnen beyden will.* Vter vero de duabus disiunctim dicitur. Ita Cicero (q): *Quamobrem vter tandem nostrum Labieno popularis est? tane? an ego?* Si te-

D 2 sta-

stator voculam vterque usurpasset, tum Cartilius iure videretur Trebatium vincere. Nunc sub iudice lis est. Ceterum monendi sunt legum, verborumque interpres, ne absonam statim opinionem Auctori tribuant, in qua quædam inueniuntur obscuriora. Ut enim nulla ars sine literis, interprete, ac aliqua exercitatione percipi potest; ita etiam leges atque singula verba auctoris attente & saepius perlustranda sunt, ne argumentationis vis oculos effugiat; aut etiam, quæ cum cura legenti planissima sunt, absurdæ & insolubilia apparent. Ab hac regula Cartilius atque Proculus deflexerunt; itemque Julianus Ictus in alia caufa, quam vide sis in l. 16. ff. de Condit. Instit. Est enim in hac postrema sensus, ut credo, planus; nec proorsus inconcinnus. Nam quemadmodum in presenti specie legis nostræ Testator noluit vtrumque heredem, ita in altera Iuliani neutrum sine altero decrevit admittere.

(q) Or. Pro Sextio.

§. XX.

Similis fere controversia in l. 49. §. 2. ff. de Leg. II. occurrit: *Labeo refert, agrum cuius commercium non habes, legari tibi posse, Trebatium respondisse, quod merito Priscus Fulcinus falsum esse aiebat. Immo, ait Gothofredus ad h. l. immerito. Gothofredo ad stipulatur Lauterbachius (p): alii distinguunt. Et sicut autem non leuis inter veteres disputatio, vtrum debeatur res legata, qua sit extra commercium legatarii? Trebatius deberi respondit: Labeo negavit. Recentiores Icti hodienum in diversa abeunt. Verum si non tam illud, quod Doctores*

ad-

adferunt, atque fingunt; quam quod in legatorum natura contineatur, consideremus, atque inspiciamus, salua res est. Rei, quæ ab omni commercio aliena est, ut sunt iure Romano res sacræ, religiosæ, sanctæ &c. ne quidem aestimatio debetur. Nec enim illa aestimationem recipit; adeoque nec rem, nec taxationem legatarius potest petere. Quod si tantum heredis commercio exenta sit, aestimationem deberi uno omnes ore adfirmant. De legatario dubium remanet; vtrum videlicet res legata ei debeatur, cuius commercium nec habet, nec habere potest; puta, si Iudeo mancipium christianum legati nomine foret relictum: sed tollitur facile, si perpendast testatoris cumprimis voluntatem spectandam esse. Vult ille legatarium honorare. Huic autem nihil obici, aut adtribui culpa potest. Ergo pretium rei, quæ aestimari potest, numeres: ne euanelcat legatum, quod ex mente defuncti aliquid sane continebat. Ex quo simul elucet, quare in stipulationibus aliud placuerit *Paulo l. 34 ff.* de V.O. Habet namque, quod suæ imprudentiae adscribat stipulator, vtpote qui sibi promitti curauit, cuius nec accipiendi, nec possidendi facultatem habebat. Quid autem culpæ, quæso, in legatario residet, penes quem rei legatae commercium non est? Quod cum non obseruassent *Donellus*, *Hiligerus*, *Vinnius*; aliqui iuri auctores, quid mirum nostrum communibus condemnatum fuisse suffragiis? At nequidquam tamen ad rem facit, quod proferunt: legatarium illius rei pretium exigere vix posse, quam nullo iuris obtentu eidem licet petere. Quid enim? Annon licet domus alienæ mihi legatae pretium ab herede postulare, quantis rem ipsam ab alio dominii iure possessam nequacum extorquere? Conse-

quentia minus valida est: res exigere non potest; ergo nec pretium rei. Sane, si res ipsa omnis pretii expersoret, utpote hypocentaurus, tum aliquid forte roboris in eorum argumento contineretur. At dum commercium certis tantum hominibus interdictum est, eique interea rei sua estimatio constat, non video sane atque intelligo, quare res legata taxationem recipere nequeat. Idcirco animum facile induco, alias etiam in Pandectis Iureconsultos a Trebatii opinione non admodum abhorruisse; quod l. 40. ff. de leg. I. in primis innuit, atque probat. Nam quamvis *Wissenbachius* (f) inter fideicommissarium, ac legatarium cum aliis distinguat, & peculiare exemplum in illa se inuenisse lege gloriatur; scio tamen magno conatu nihil agi, omnemque operam frustra consumi; posteaquam non contempnendis rationibus a nobis stabilitum est, legatarium rem sibi legatam, cuius commercium non habet, cum alia permutare summa posse.

- (r) In Colleg. Theoret. Pract. Part. II. p. 1010.
 (f) Disput. II. lib. ff. XXXI. §. 9. Si quid coniicio. Vlpianus certe hoc dicit: Rei alienæ cuius neque Legatarius commercium; neque etiam fideicommissarius ius haber possendi, estimatio tamen debetur. Ea ratione nec vim in ferre legi cum Cuiacio, nec subtiliter necessum erit distinguere. Est enim alias notum, quantas lites illa lex Vlpiani concitaverit, quamque in varias partes hic se se verterint Iureconsulti etiam clarissimi.

§. XXI.

Haud multo plus difficultatis ac dubitationis alia
Tre-

Trebatiⁱ responsio habet, quæ in l. 29. de leg. III. oppugnatur. *Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubine vtendam dederat. deinde ita legauit, vestem, que eius causa emta, parata esset.* *Cassellius, Trebatius negant ei deberi prioris concubine causâ parata;* quia alia conditio esset in uxore. Labeo id non probat: quia in eiusmodi legatione non ius uxorium sequendum, sed verborum interpretatio esset facienda, idemque vel in filia, vel in qualibet alia persona iuris esset. Labeonis sententia vera est. Exemplum propositum hoc potissimum caput, ac argumentum continet: utrum pro concubina tam fauorabilis interpretatio sit facienda, ut sub eo, quod ejus causa paratum, & emtum est, comprehendatur simul quod accepit vtendum, sed alterius concubina causa emtum, paratumque. Trebatius concedit tam largam atque amplam interpretationem respectu vxorum in viu frequentissime (t) versari: negat autem concubinas tanto fauore esse dignas. Quid ad hæc Labeo? Hic existimat, non tam ius uxorium, quam voluntatem testatoris inspiciendam esse. At enim vero, mihi Labeo, hoc ipsum demum est, quod queritur; an talis pro concubina præsumi queat, aut debeat voluntas? In dubio ad fauorem personæ oculos dirigimus. Concubinæ vero, quæ titulo, & dignitate uxoris carebat, aut nullus, aut saltem peregrinus est. Ergo in dubio cum Trebatio facerem. Nam quæ ab aliis ex cogitatur regula, in duobus adiectiuis coniunctis sufficere vnam verum esse, contra Trebatium nihil roboris habebit; vt pote quam Bartulus ex Labeonis sententia excuspsit, ac fecit. Miseros vero interpretes, qui regulas bonæ interpretationis in aliorum præiunctis opinionibus querunt; nec tam rectæ rationis fontem, quam Doctorum

rum turbide fluentes riuulos sectantur. Potius in coniuncta oratione vtrasque partes esse veras requiritur: nisi aliquis inepte forsitan dicat, hanc neque coniunctam esse, neque disiunctam. Nec mouet, in praesenti exemplo non tam de eo, quod vxoris, sed quod alterius concubinae caussa emunt, paratumque sermonem esse, idque, an debeatur secundae concubinae disceptari. Facile enim regero, Trebatum ad fori usum respexisse: ibi vero cum adeo benigna, fauorisque plena explicatio pro concubinis, sicut vxoribus, nondum obtinuisse, nec ex verbis etiam testatoris colligi potuisse, haud immerito eum ad negantium partes secessisse. Labeoni aliter usum est: quod forsitan ex suo ingenio alias iudicaret, effusa que licentia extra veterum traditionum fines evagaretur. (u)

(t) L. 58. de Leg. III.

(u) Est hoc Vincentii Grauinæ ICti apud Romanos præstantissimi de Labeone iudicium, utpote qui non vbius obvia de eo congesit in libello limatissime perscripto de Ortu & Progressu Iuris Civilis p. 106. Grauina vero Pomponium, & veteres in primis secutus est; qui ita Labeonem laudarunt, ut etiam næborum, quibus notaretur, diligentem mentionem iniicerent.

§. XXII.

In l. 100. §. 1. 2. 3. de Leg. III. tria occurunt, quæ in Trebatio notantur. Videamus primum. Due statuae marmoreæ cuidam nominatim, item omne marmor erat legatum. Nullam statuam marmoream preter duas Castellius putat deberi. Ofilius, Trebatius contra. Labea Castellii sen-

sententiam probat, quod verum puto, quia duas statuas legando, posset videri non putasse in marmore se statuas legare. Si nominantur, inquit Bartolus indiuidua specie contenta sub genere, ad alia in eadem specie contenta non porrigitur illud genus. Ecce vero Barrole? Rationes subducamus parumper. Testator putauit, se duas tantum, non plures possidere statuas marmoreas. Has legat, sed simul iis omne marmor addit. In reliquo marmore plures statuae reperiuntur. Certe qui omne marmor legat, aliquid amplius, quam duas statuas legare voluit. Sed statuas plures praeter duas ait, dare noluit. Si sciuisset se plures habere, concedo: quid si nesciuerit? (x) subsisto. Hoc enim casu maiorem verisimilitudinem Trebatii opinio indipiscitur. Nam omne marmor dare voluit defunctus. Statue marmoreæ vero ad marmor pertinent. Quid? quod si species post genus legatum addita fuisset, haberent forte dissentientes quod pro se, suaque causa non sine colore vrgerent. Nam species generi modum imponit (y). At cum genus post speciem nominatum sit, quis non concluderet, sermonem posteriorem laxius esse explicandum, numerumque durarum statuarum ex abundantia quasi expressum generi adiecto nulla ratione nocere debere? Quemadmodum enim adiecta species genus circumscribit; ita appositum genus speciem ad se trahit: aut si maius, eam redundanter esse nominatam indicat. Cui nequaquam refragatur, quod dicitur: non esse credibile, in una oratione, eademque periodo aliquid posse redundare, aut esse superuacuum. Quod si namque certum est, genus coarctari a specie, mensaque, & scannis supellestili additis non omnem supellestilem deberi; se-

E

que;

quetur etiam credo, ut vox supellex, hoc est, genus in uno eodemque comminate abundet. Ut vero genus; ita etiam species vacanter, atque inaniter potest addi. Deinde ambiguum adhuc est, vtrum in hac causa unum tantum legatum sit, una periodus, aut expressio. Vide, quae in hanc rem differit Franciscus Hotomannus L. IV. Observat. VII. & in primis Cl. Bynkershoek Observat. I. R. Lib. III. c. II. qui utrum summa industria hanc controveriam excusit; nostrum tamen exemplum omisit.

(x) Temperauit adserita ICtorum, ipse, quem omnes venerantur, Papinianus in 1.9. pr. ff. de supellec^t. leg.

(y) Eiusmodi species foret, si quis primo seruos legasset, deinde tres ancillas adieceret; non omnes, credo, deberentur ancillæ, que ceteroquin deberentur ex generali legato, sed tres duntaxat, cum in expressa specie ancillarum generi modus sit dictus.

(z) XXIII.

Alterum, quod est in secundo paragrapho videtur leue. Vxori meæ vestem, mundum mulierem, ornamenta omnia, aurum, argentum, quod eius causa factum, paratumque esset, omne do lego. Trebatius haec verba, quod eius causa factum, paratumque est, ad aurum & argentum duntaxat referri putat. Proculus ad omnia, quod & verum est. Possunt verba, quod eius causa factum, paratumque refringi, possunt etiam extendi. Vtrimeque rationes sunt. Sed habet tamen Trebatius fortiores. Nam si verba uti iacent, & a defuncto scripta sunt, vel prolatata

lata spectentur; vnicuius patere arbitror, duo præcipi-
primum ut vxör vestem, mundum muliebrem, & orna-
menta omnia habeat: deinde ut aurum, & argentum,
quod eius cauſa factum paratumque accipiat. Diuer-
ſitas in eo conſiftit. Sub factō paratoque comprehen-
ditur quidem emtum, non autem donatum, legatum,
inuentum. Igitur donata vestis, ornamenta legata neu-
tiquam cederent vxori, si Proculi definitio vinceret:
qui laxioris interpretationis auctor est. Trebatii ſen-
tencia vero coniugi omnia adtribuit, ſingulaſque vefte, or-
namenta cuncta, mundum muliebrem iniuersum, para-
tum, emtum, factum, donatum, poſt testamentum pa-
ratum, legatum, tiruloque lucrativo adquisitum adalignat.
Etenim ius vxorium insigni ſemper fauore in Romana
republica cernitur inuunitum; cui commode derogari ne-
quit, niſi clara testatoris voluntas, aut euidentiſimæ
coniecturæ contrarium fudeant. At ubi eſt illa clara
testatoris voluntas? ubi ſunt iſtae euidentiſimæ conie-
eturæ? Reſtriguntur, aīs, verba generatiū poſita. At
qui hoc ambiguum eſt, nec extra dubitationis aleam po-
ſitum. Verba, quod eius cauſa factum, paratumque,
ad aliam plane rem, aurum intellige, atque argentum
pertinent. Iam vero tironibus notum eſt, ſtilo roma-
no aurum, argentumque a vefte, mundo muliebri, ac
ornamentiſ distingui. Adde, ſi placet, voculam factum
argento potius, atque auro, quam ceteris, que memo-
rantur, conuenire. Aurum enim, argentumque vel fa-
ctum, vel infectum, vel ſignatum eſt (z). Infectum ru-
dem auri, argentique maſſam ſignificat: factum, quod
certam ſpeciem recepit: ſignatum, quod publico ſigno
percusſum. Verba allegata vero de auro, argentoque

E 2

facto

facto loquuntur, & vxoris caussa parato. Vid. doctissimus Wissenbachius ad tit. ff. de auro, argento, mendo &c.

(z) Pertinet huc locus ex Liuio lib. XXXIV. cap. VI.
Cautum erat, quo ne plus auri, & argenti faci, quo ne plus signati argenti, & æris domi haberemus.

§. XXIV.

Tertius legis allegatae paragraphus ampliori contemplatione videtur dignus. *Cui Corinthia vasa legata essent, & bases (i.e. bases seu fulcra) quoque eorum vasorum collocandorum caussa paratas deberi, Trebatius respondit. Labeo autem id non probat, si eas bases testator numero vasorum habuit. Proculus vero recte ait, si æneæ quidem sint, non autem Corinthiae, non deberi. Notum est æs Corinthium, & vasa Corinthia, in maximo olim pretio & aurum contra fuisse habita (a): quod cum Accursius non intellexisset, e palea illa credidit confecta. De his vero quæsitum est, utrum eiusmodi vasis legatis bases quoque debeantur, hoc est, orbiculi illi, quibus vasa in mensis collocantur, ne toralia polluantur. Trebatius deberi respondit: Proculus, ut primo obtutu videtur, adiecit, bases æneas peti posse, non autem Corinthias. Labeo non deberi dixit, si bases & ipsa essent vasa. Si quis recte rem totam pensauerit, is animaduertet, Labeonem a Trebatio non esse alienum. Hic enim ut veram iam assumit, bases non esse vasa, sed vasorum gratia comparatas. Proculus, credo, rectius fecisset, si Trebatio absolute ad sensum præbueret. Quare enim bases tan-*

tantum æneæ debeantur? an quia viliores? At sequitur accessorium suum principale, quamvis illud sit pretiosius multo. Vide quid Ulricus Huberus (b) in pari re causa responderit. *Matrona, inquit, legauerat alicui omnia sua fidilia: Repertus autem est ingens numerus vasorum sicut illorum cum argenteis operculis, sexies pluri, quam erant ipsa vascula. Respondi tamen opercula cedere vas, nec ab herede posse separari; quoniam opercula erant vasorum gratia.* Nunc videndum an bases sint vasorum Corinthiorum gratia. Et puto. Cur enim alias vocarentur bases, fulcra, pedamenta? Basis ob vasculum habetur; ergo accessorium est; ergo etiam principali suo cedit. Speciosius est, quod pro Proculo Pancirollus (c) vrget, eum nempe non tam negare, bases Corinthias vasis Corinthiis cedere; quam illas æneas diuerso metallo constantes. Corinthias enim ideo legatis vasis Corinthiis adhaerescere, quia cum omnia Corinthio metallo constant, praesagiendum sit, bases eiusdem materiae vasorum causa factas fuisse; ut potest quod de æneis, de quibus queritur, non constet. Nam cum aliis etiam vasis supponi possint, non recte argui, quod causa Corinthiorum factæ fuerint, & ideo legatario Corinthiorum non deberi. Sed dubito primum, utrum hic subtilis verbis sensus; quæ valde ambigua sunt & obscura, itemque suspensa; deinde admodum etiam ambigo, an illa Trebatio fraudi futura obseratio sit? Existimauit enim is, ac pro certo adsumpsit, bases vasorum Corinthiorum gratia fuisse paratas. Quod si contrarium constaret, aliter etiam ipse forte Trebatius respondisset.

(a) Cicitur in notis a Gothofredo Plinius Lib. LXXXIV. cap. I. Sebastianus Nævius fideliter hoc quoque

mendum descripsit. Sed est liber XXXIV. Neque enim tot libros condidit Plinius, ut ad tantum numerum possent ad surgere. Hic vero recte non tantum allegatur: sed etiam prae Plutarcho in hac causa consuli meretur: vt pote qui lib. de Pyth. Orac. fabrum quemdam Corinthium huius ariis auctorem facit, qui cum incidisset in thecam auri plenam, eamque sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutis particulis aurum paullatim ari admisceretur, admirabilemque illam temperaturam efficerit, ac magnas opes sibi parauerit. Verba postrema Wagenseilii sunt, viri clarissimi Dissert. de re monetali veterum Romanorum p. 30. sq. qui Plutarchum, & cum eo sentientem Antonium Muretum apposite confutans, Plinii recensionem probat; cuius opinione neque naturae, neque hominum ingenio, sed opulentissime verbi iniurie, atque casu ariis Corinthii origo merito attribuitur. Nam cum A. V. C. DC VII. L. Mummius Consul Achaei caput, Graeciae decus, nobilem Corinthum occupatam, direptam que tuba præcinente, deleuisset, incendio permisit plurimis statuis atque simulacris ariis, auri, argenteique venæ in commune fluxere, ut eleganter rem totam exprimit L. Annaeus Florus Lib. II. cap. 16. Atque ex hac mixtura æs demum Corinthium natum est, quod ita omnes affectarunt, ut querentium multitudine raritatem induceret: rarietas premium in mensum augeret. Supersunt tamen talia adhuc vasa non Romæ solum, sed Venetiis quoque apud Illustres Latredanos. Nec ab vero alienum est, quatuor illos stupendi operis equos, quibus S. Marci Basilica ornatur, ex ære Corinthio esse. Vtrum huius generis æs numis for-

man-

mandis materiam præbuerit, *Sauorus & Aeneas*
Vicus viri doctissimi dissérunt, atque certant. Et
 hic quidem in scito libro, quem vocat *Discorsi so-*
pra le medaglie de gli Antichi p. 35. omni animi
 contentione probare nititur, Tiberium, Caligu-
 lam, & Claudium Imperatores vere ex metallis
 conflatos Corinthios dedisse numos. Vid. *Wa-*
gensilius l. cit.

(b) Ad tit. ff. de auro, argento, mundo, §. VII.

(c) Varior. Lect. Thesaur. Lib. II. cap. LXXIX. p. 255.

§. XXV.

Venimus denuo ad Iauolenum Trebatium confu-
 tantem in l. 17. de ann. leg. Legatum ita est, Attiae, donec
 nubat, quinquaginta annas esto heres meus dare, neque
 adscriptum est in annos singulos. Labeo, Trebatius presens
 legatum deberi putant, rectius dicetur, id legatum in annos singu-
 los deberi. In hac disceptatione regula tenenda est:
 legatum non presumi annum, atque multiplex; sed v-
 nium; sed presens; sed vnius tantum preffationis; nisi
 contrarium evidenter eluceat. Neque enim credibile
 est, testatorem heredi tam graue imponere onus voluisse,
 vt annuatim aliquid Legatario, & cum processu tem-
 porum dependeret; nisi clarissima verba contrarium
 ostenderint. Itaque Iatiolenus a regula discedit: quam
 Trebatius, & Labeo sequuntur. Iatiolenus autem fauor-
 rem (d) dotis in animo viderur habere; & æquitatem
 præ oculis: noster ius sumnum. Reuera igitur vix di-
 scordant. Accedit, quod particula donec (e) non sem-
 per tempus, vt terminum; sed etiam conditionem no-
 tet. Verba: Attiae donec nubat, eam quoque exposi-
 tio-

tionem recipiunt, si nubat, wann sie wird heyrathen.
Sic autem legatum presens foret: & haec interpretatio
Trebatio placuit; vt & Labeoni.

(d) *Dionysius Gothofredus* in notulis ad hanc legem
Labeoni propterea ac Trebatio ad sensum praebuit;
legatumque semel tantum praestandum putauit.
Quod vero Iauolenus annuum voluerit; fauorem
dotis, ait, effecisse; vt legataria tanto facilius nubendi
conditionem inueniret: & dotis lautitia virgini
speratae, ac iugum ferre idoneae procorum insig-
nem copiam conciliaret.

(e) Vid. Strauch, Lexic. Partic. p. 48.

§. XXVI.

Sicuti vero, quam vidimus, disceptatio leuis admodum fuit, & per exigui momenti, ita illud, quod in
l. 31. ff. de vsu & vsumfr. leg. inter Labeonem, & Trebatium
denuo surrexit bellum, maioris fieri vix debet. Neque
enim videtur credibile, Trebatium a Labeonis sententia
discordare, quamquam hic magnos motus cieat, irrito-
que conatu cum umbris luctetur. Audiamus Labeo-
nem. *Iz*, qui fundum tecum communem habebat, vsumfru-
ctum fundi uxori legauerat, post mortem eius tecum heres ar-
bitrum communi diuidendo perierat. *Blaesus* ait, Trebatium
respondisse, si arbiter certis regionibus fundum diuisisset, eius
partis, que tibi obtigerat, vsumfructum mulieri nulla ex parte
debet: sed eius, quod heredi obtigisset, totius vsumfru-
ctum eam habituram. *Ego* hoc falsum puto. Nam cum ante
arbitrum communi diuidendo coniunctus pro induiso ex parte
dimidia totius fundi vsumfructus mulieris fuisset, non potuisse
arbi-

arbitrum inter alios iudicando, alterius ius mutare, quod & receptum est. Iurarem, Trebatum in sua decisione existimasse, vxorem ex diuisione fundi, quam heres ordinauerat, nihil sensisse incommodi aut detrimenti. Alter prima iuris ignorasset elementa. Hoc vero concessio, mulier certe a litigandi prurigine se liberare neutiquam quiuisset, si ex dimidia parte totius fundi vsumfructum petiisset, quem in certa parte fundi per regiones diuisi eadem ratione, eodemque emolumento licuisset percipere. Nam et si non est non fatendum contingere aliquando, vt alicui vsumfructus in dimidia portione totius fundi vitior sit, e.g. si, quas socius accepit, regiones nonnullis fructibus abundant, quibus vsumfructuarium sine notabili rerum suarum dispendio carere nequeat; accedit tamen interdum, immo frequentius evenit, vt eadem soli fertilitate occurrente nulla fructuum diuersitas obseruetur, nec messis messem vincat, nec partium separatarum dissimilitudo contentioni locum faciat. Hoc casu, non autem alio, Trebatius mulieri vsumfructuarie actionem contra socium negauit; vtpote dolose litiganti, ac altercanti. Reipublicæ enim interest, vt omnis inutilibus iurgiis occasio præcindatur, iudiciaque a strepitu pugnacium hominum, ac natura φιλανθρίων quiescant. Quod si vero contrarium euinci, ac euidentibus signis probari ab vxore posset sua interesse, non dubitamus, quin illa foret audienda, & ad vsumfructum in dimidia parte totius fundi capiendum celeriter admittenda. Ac ita vero etiam Trebatius cum Labeone easdem forte tibias esset inflaturus, cuius verba carptim allegauit Blæsus, carptim confutauit Labeo, itemque abscisæ retulit lauolenus. Optandum foret, vt integra ad nos Trebatii,

F

omni-

omniumque veterum ICtorum scripta (f) peruenissent. Multa, credo, rectius intelligeremus: in pluribus concordiam eorum, quos nunc dissentire existimamus, deprehenderemus. Ita enim confusa sunt omnia in Pandectis; adeo indigeta pleraque, ut Oedipo interdum opus sit, qui λογοπαχτιας altercantium componat, finiatque.

(f) Hoc acutissimi Hottomanni in Anti-Triboniano perpetuum votum est; hoc Cuiacii aliorumque literatissimorum ICtorum desiderium non penitus spernendum. Quidquid enim de Veterum Interpretum opinionibus residuum est, mancum videtur, atque mucilum: unde illæ, quæ ex infelici naufragio emerserunt, tabulæ explicari vix possunt. Nec nocet, Tribonianum publica istud auctoritate fecisse. Fecit enim, fateor; sed minus apposite; ac parum prudenter.

§. XXVII.

Et fac autem Labeonis opinionem rectiorem, & iuri magis congruam suisse, Trebatius certe in hac eum controuersia, quæ est in lege 7. de tritic. vin. vel ol. leg. superabit: *Quidam heredem damnauerat dare vxori sua vim, oleum, frumentum, acetum, mella, salsamenta. Trebatius aiebat, ex singulis rebus non amplius deberi, quam quantum heres mulieri dare voluisse: quoniam non adiectum esset, quantum ex quaue re daretur. Oſilius, Caſcellius, Tuberø, omne, quantum pater familias reliquisset, legatum putant. Labeo id probat, idque verum est. Quare autem verum esset, cum legatum incertum alias plane infirmum sit, ac inualidum?* Ipſe Brunnemannus in Commentario ad hanc le-

legem duo hic concurrere singularia existimauit; vnum
valere legatum incertum; alterum omne vinum, oleum,
ac frumentum deberi. Num vero Labeonis auctoritas,
quem dissentendi lubido saepius in transuersum abripuit,
efficiet; vt a recepta legum harmonia discedamus; &
peculiaris eiusdem definitioni adhæreamus? Sane, cum
iuris auctores stipulationem incertam, ac indefinitam ha-
beant pro inutili, non comprehendunt aliqui, cur lega-
tum incertum, ac itidem indefinitum sit reputandum
pro vtili? Inde Vlpianus, (at quantus Ictus?) legatum
generis, quod certos a natura limites, terminosque non
habet, pro derisorio (g) potius, quam vtili accepit. Et
nos legatum vini, olei, falsamentorum, quod neque cer-
tum corpus neque determinatam quantitatem continet,
numeremus in vtilibus? Puto, Trebatium ratione ne-
quaquam destitui, quare ex singulis rebus non amplius
deberi statuerit, quam quantum heres mulieri dare vo-
luisse. Neque enim concludit, vino legato omne id
contineri, quod defunctus vini loco habuit? Quis enim
huius definitionis auctor est? An Cascellius, Tubero,
Ofilius, Labeo? Atqui his omnibus solum iure optimo
Trebatium oppono; quia ad analogiam iuris conueni-
entius ratiocinatur. Vinum namque, quod necratione
qualitatis, nec etiam quantitatis certos a natura atque
testatore limites accepit; eiusmodi est, vt nullam lega-
tario vtilitatem adferat; vtpote quod vel ad minimam,
aut potius ridiculam portionem redigatur. Itaque gut-
tatim fluet vinum legatario relictum; dabitur pauxillum
olei, modicum ex falsamentis decerptum eidem pro so-
latio adsignabitur; nisi quidem generoso, ac liberali ani-
mo heres inueniatur, qui alia ratione inductus vinum

merum cumulatius effundat, aut laudis quidus falsamenta largiter distribuat, oleumque pro sua in aliquem munificentia copiosius dispergat. Iure summo, atque stricto ad istud nemo obligatur. Et de hoc autem Trebatius respondit. Si quis iusto & equior velit esse, vxorisque fatiore profusior, nec repugnabit Testa, nec nos quoque: dummodo cauillatio cesset, atque definit, ICtum nostrum ius atque & quum præteruectum in erroris insidiis incidisse. Quæ et si ad obtundendos Trebatii aduersarios possunt sufficere; faciam tamen, ut decet, aliud defensionis, expedienda que salutis fundamentum; quod Brunnemannus, aliique iuris interpretes neque animaduerterunt, neque in medium attulerunt. Existimo igitur, Trebatium, ut est in lege, eam potissimum respexisse formulam, qua heres a testatore dicitur dannatus. In legato damnationis (h.) vero eligendi potestas heredi iure veteri data est. Cascellius, Ofilius, Tubero, Labeo quid? Hi sine ratione diuortium faciunt, quodque ea ætate expediti juris fuit, misere deformant, atque detorquent, dicamque Trebatio scribunt maiori probabilitate contrarium adfirmanti. Quibus cum Tribonianus adsenisset, ius vetus a nouo perraro distinguis, actum sane de illo erat, conclamatumque; vt potè tot auctoritatibus obruto, damnatoque.

(g) L. 71. ff. pr. de Leg. I.

(h) v. Vinnius ad Init. de Leg. §. I.

§. XXVIII.

Interea dubium valde redditur, atque ambiguum,
quod codem titulo I. 15. in alia caussa a Prōculo adfertur.

Vinum,

Vinum, inquit, cum vasis legatur: negauit Trebatius, quod in dolis sit, deberi; & sensum testatoris alium putat esse, verborum alium. Ceterum dolia in vasis vinariis non essent. Ego, et si dolia in vasis vinariis non sunt, tamen non concederem Trebatio, vinum, quod in dolis esset, id est, quod in vasis non esset, non esse legatum. Quæstio est, si quis vinum cum vasis legasset; an etiam vina doliaria debeantur. Trebatius respondet deberi secundum verba; secundum sensum testatoris vero non deberi. Nam quamvis in vasis numerentur (i) dolia a peritioribus; vulgus tamen in eorum censum ea demum reputat, quæ exportantur; quæ non harent prædio (k), utpote cadi, & amphoræ. Defunctus vero vulgare significationem in mente videtur habuisse. Quid ad hæc Proculus? Is concedit dolia in vasis sensu populi non esse; sed vinum tamen, quod est in dolis, dari debere contendit. Ecce quia vinum indefinite nominatur. Verum enim vero quis non videt ac deprehendit insigne iudicij σφάλμα. Estne sic vinum indefinite legatum, dum dixit testator, vinum CVM VASIS? Certe taxationis proprium est, ut restringat præcedentia (l). Si vinum abfolute, ac sine vasis nominasset, adhuc dubium foret, quid, quantum, & quale esset dandum. Nunc cum specialis oratio generati accesserit, coercetur, credo, secunda; nec omne vinum videtur deberi, sed quod est in vasis, quodque cum vasis legatario concedi, & tribui potest. Sed scio, quid Proculum impulerit. Credidit ille aliorum errori implicatus vino legato, omne, quod habuit testator, deberi. Verum creditur sine causa. Vinum enim indefinite positum ad guttulas facile redigitur, atque minutias. Deinde ex accessorio etiam principale

F 3 de-

determinare potuisset: Vasa enim definiunt, atque circumscribunt vinum; perinde ut in vernacula nostra de **Wein** sicut den Bouteilles non comprehendit, ac significat vinum, quod est in dolis. Miror Cuiacium vi-
rum doctissimum Lib. II. Obseruat. XXXVI. ad hanc ob-
jectionem nulla ratione respexisse.

(i) *Gerardus a Noodt Iureconsultus apud Belgas Ione
ge præstantissimus non immerito illis verbis: ce-
serum dolia in vasis vinariis non essent, medicam
manum applicat, negandique particula expuncta
legit, ceterum dolia in vasis vinariis essent. Ea e-
num ratione sensus planus emergit. Vino cum
vasis legato, negat Trebatius, vinum, quod in do-
lis sit deberi. Nam etsi, cum spectantur verba,
verum est, dolia ab his, qui intelligunt, recenseri
in vasis: tamen alia testatoris esse videtur volun-
tas. Ceterum, id est, alioquin dolia populari si-
gnificatione, quam is respexit, ad vasa pertine-
rent: quod Testa falsum esse existimauit, itemque
absurdum. v. Obseru. lib. II. c. XIV. p. 175. seq.*

(k) *Dolia enim in terram plerumque desodiebantur;
ut vinum aestate frigidius, incorruptiusque conser-
varetur: hyemali tempore gelasceret. Nec enim,
verbo sequori Guidonis Pancirolli Var. Lect. lib. I.
cap. LXI. *hypogæa, id est, subterranea loca cella-
rum vinariarum, ut nunc, ita ubique tum in usu
fuisse, Plinius inquit: Mitiiores plague dolis con-
dunt, infodiuntque terre tota, aut ad portionem
suum: item cælum præbent, alii vero impositis te-
nis arceni. Ex quo nunc facile Vlpianum l. 3.
§. penult. de Trit. Vin. & ol. leg. explices, Scæuo-
lamque, l. 43. §. 4. de Leg. III. quorum vnu dolio-
rum**

rum in cella vinaria depressoꝝ, alter cupparum doliorumque in cellis defixorum mentionem facit.

- (1) Hinc doctissimus Bynkershoek Obseruat. Iur. Rom. Lib. III. cap. I. ingenuo fassus est, in formula antiqua, maſte vino inferio esto, recte Trebatium exſtmasſe apud Arnobium Lib. VII. aduerſ. Gent. illud inferio esse additum, ne vinum omne, quod in cellis atque apothecis est conditum, esse facrum incipiat, sed ſolum quod inferetur.

§. XXIX.

Non multo felicior Proculo Vlpianus eſt, qui I. 3. §. I. ff. de aqu. & aqu. pluu. Trebatius, ait, *putat, eum cui aquæ fluentes calide noceant, aquæ pluviae arcenda cum vicino agere poſſe; quod verum non eſt, neque enim aquæ calide aquæ pluviae ſunt.* Ego inter actionem directam, & utilem eſſe, puto, diſtinguendum. Hanc antiquis legum interpretibus non fuſile incognitam ex leg. 22. tit. eod. quæ eſt Pomponii, patescit. Et fungum enim pro cerebro habuiſſet Testa, ſi aquas pluuias non eſſe calidas ignorafſet. Igitur de actione utili loquitur. Si quis vero adeo rigidus foret, vt hanc ei licentiam denegaret paullo laxius extendendi verba interdicti, inque aliis cauſis utiliter applicandi, quid iis fieret, obſcero, qui actionem de ſeruo corrupto ad vxorem, & liberos corruptos, nec incondite tamen, applicant, atque trahunt? Sane vero actiones utiles non tam ex verborum cortice, quam rationum ſimilitudine, ac æquitate per Iureconsulitorum interpretationem firmata coortæ ſunt; propter ea que introductæ, ne noua formula opus foret, vbi

al-

alterius legis argumentum decisionis, aut congruae definitionis fundamentum suppeditaret. Dico congruae. Neque enim leues & fallaces eorum consequentias probamus, qui veterum auctorum scriptis sine iudicio abutuntur, aut legis iustum sententiam peruersa ratione deformant, atque torquent. De eiusmodi ineptis legum argumentis eleganter differit Gerhardus Noodt in Julio Paulo cap. VII.

§. XXX.

Ergo potius cum Caio disputabimus, cuius sententiam l. 5. §. r. d. A.R.D. multi quidem doctissimi viri calculo suo approbarunt, atque rationi conformem scripserunt. Verba Gaii sunt: *Illud quæstum est, an fera bestia, que ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur. Trebatio placuit, statim nostram esse, & eosque nostram videri, donec eam persequanrus: quod si desierimus eam persequi, desinere nostram esse, & rursus fieri occupantis. Itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, alias eam cepirit eo animo, ut ipse lucifaceret, sursum videvinobis eum commisissè. Plerique non aliter putauerunt eam nostram esse, quam si eam cepirimus: quia multa accidere possunt, vi eam non capiamus: quod verius est. Quid si dicarem Trebatii opinionem hodie magis videri receptam inter venatores, eamque sua non carere ratione? Nam quamuis proprieloquendo mea nondum sit fera, non licet tamen alteri eripere illam, neque per sequentem insidiose anteuertere. Honesti animi est, non solum abstinere alieno; sed etiam eo, quod iam prope est, vt alterius sit; ne propinquam alterius spem multis iam forte laboribus quæsitam inuadamus.*

mus. Propinquam vero spem esse ex eo manifestum sit; quod grauter vulnerauerimus feram; vt fuga elabi vix possit; & dum persequimur damus illud animi clarrisimum indicium, nos voluntatem occupandi habere; & ab occupatione incepta nondum desistere. Ita fere doctissimus I^{CT}us *Franciscus Balduinus* in Comment. ad Inst. Lib. II. tit. I. rationes suas subducit. Ex quo eluet, Caii rationem Trebatium nec pungere, nec ferire; dum multa accidere posse adfirmat, vt eam non capiamus. Testa propinquam spem sibi proponit. Nam si quis ab insecuritate desistat, & vulneratum animal patiatur elabi, spem certe omnem videtur depositisse. Contra sentientes vocabulo capere, & occupare inharent. Quodcumque, inquit, persequor, nondum cepi: quod nondum cepi, illud identidem nec occupavi: non occupatum meum non est. Quid igitur pro Trebatio? puto eum non aduersari Caio. Neque enim dicit vulnerata, aut nondum capta fera mea est; sed tantisper, donec vestigiis fugientis insisto, mea videtur, ac intelligitur: isque inhumane faceret (m), qui opinione incerte insecuritatis prædam propinquam mihi adimeret. Quæ immanitas, morumque acerbitas, vt ciuibus interdicatur, publice interest. Ac ita quidem Fridericus Ahenobarbus apud *Radeuicum* (n) iure censuit. Cum enim in Italianam venisset, inter coetera hoc sanxit, vt si quis canibus vestigioribus duntaxat feram fugauerit, non fugantis, sed occupantis sit; sed si lancea vel gladio feram percusserit; quamvis alter occupet, non tamen eius sit, sed sauciantis. Quodammodo namque apprehendisse videtur, (o) qui, vt est apud *Virgilium*,

- - iam iamque manu tenet, & premit hasta.

G

(m) Re-

- (m) Recte Huberus praelect. ad Inst. de R. D. p. m. 116.
Porro, quia occupatio non nisi apprehensione perficitur; consentaneum est, seram non esse eius, qui perfectus eam vulnerauit, & spem capiendi proximam habebat, sed qui cepit ac apprehendit ut contra Trebatium decidit Iustinianus in §. 13. Improbum tamen esse, qui seram ab alio penè captam intercipit, non est diffidendum, & Iudicis erit providere, ne malitia indulgetur; quin nostro seculo Trebatii sententiam n. agis obtinere scribit Baldinus ad I. §. 13. Grotius lib. II. cap. IV. Iuris Holland. versiculo yemant een Wit tradit dominum quidem fieri capientem, sed eundem mulierari posse ut venatorem importunum, als ouheuslicke iaagende / ut ita ratio delicti, ac pena rursus ab acquisitione dominii distinguatur.
- (n) Lib. III. cap. XXVI.
- (o) V. Alciatus Parergaw Iuris lib. XI. cap. II.

§. XXXI.

Sed nouus eodem titulo l. 19. serupulus emersit.
Trebatus (scribit) si liber homo bona fide seruiens iussu eius, cui seruat, hereditatem adiisset: heredem ipsum fieri, nec interesse, quid senserit, sed quid fecerit. Labeo contra, si ex necessitate id fecisset: quod si ita, ut & ipse vellet, ipsum fieri heredem. Quæstio Labeoneum inter & Trebatium hæc est. Vtrum liber homo pro seruo possesus, qui simul institutus est heres sibi adquirat hereditatem, an possessori, qui iubet, atque necessitate potestatis cogit, ut bona fide seruiens adiret. Et putat Trebatius liberum hominem eamdem lucrari, sibique acquisitam retinere. Rationem decidendi hanc videtur in mente habuisse.

buisse, quod pro seruo habitus neque ex re, atque substantia possessoris, neque ex operis suis dum adit hereditatem aliquid accipiat, adquiratque. Neque enim in illa causa, hoc est, in seruum operis hereditatem esse, ac numerari. Igitur relinqui, vt liber homo præferendus sit possessori, tametsi status, conditionisque suæ ignarus id fecit. Sufficere si fecerit. Facere enim eiusmodi hominis libertatem, vt prohibente iure sentire aliter nequeat. Quocirca parum referre, quid senserit, quidq; non senserit, potius spectari, quid fecerit. In quo certe Trebatio consentio. Aperti enim iuris est, atque fuit, liberum hominem sibi adquirere, quod adquirit, non autem alii, qui eum, quamvis bona fide, vt seruum habuit, posseditque. Nam cum hereditatis aditio ad operas serui etiam veri non referatur, idque in quo liber homo bona fide seruiens institutus est a patrimonio, bonisque domini putatiui separatas rationes habeat, nihil iam Labeoni causa fuisse existimo, quare is diuersam, & a Trebatii sententia alienam viam ingredereetur. Verum, in hereditate, inquis, voluntas, atque animus desideratur: hæc distin-
ctio Labeonis tenenda est, vt si sciens se liberum esse, sponte adeat, fiat heres: sin putet se seruum, & iussu possessoris quasi parere necesse habens, adeat, non sit heres, eoque nulli adquirat hereditatem. Ego vero fa-
teor, aliquid huic rationi speciei inesse, quamvis non peruincat. Habemus namque vel expressam, vel tacita-
tam, vel ex lege ortam voluntatem. Expressam in præ-
senti causa non inueniri notum est. Tacita voluntas fa-
cto demonstratur. At frustra hic queritur de tacita vo-
luntate, vbi clare videmus seruum adiisse hereditatem
iussu alterius, statumque suum iuxta cum ignarissimis

G 2 sci.

sciuisse. Igitur quid? An Labeo palmam, uti vult, referet. Et non putem. Restat siesta, seu ex lege coorta voluntas. Aequum enim est, ut haec liberis hominibus bona fide seruientibus succurrat, iisque auxilio sit. Satis ii incommodi sustinuerunt, dum sub seruitutis iugo aliquamdiu innocentes gemuerunt, operas praestando, laborando, parendo, iussumque possessoris suscipiendo. Ut damno etiam adficiantur; idque quod testatoris voluntate eis in primis destinatum est, amittant cum aequitate iuris omnimode pugnat. Quamobrem quid fecerint potius peruidendum est, non quid senserint. At qui hereditatem, pergis, adierunt, idque ius iusti domini putatiui; ergo hic potius lucrum referet. Sed cum ille ius iusti legibus aduersetur, & contrarius sit; ut videlicet liber homo tanquam seruus adquirat alii hereditatem, perinde est, ac si ius iusti non adfuerisset, ac ita b. f. seruens pro se, & in sui emolumentum hereditatem adquisiuuisse iure censetur, ac singitur. Quo Trebatii responsum, puto, collineasse, quod Collegii Argentoratensis auctor perperam aliorum traxit (p). Quod si quibusdam displiceat siesta voluntaris vocula; illi rogantur, ut ea ratione nostram responcionem efferant: aequum esse, ut leges ei attribuant hereditatem, qui ius iusti alterius eam adire nec potuit, nec debuit; atque adeo propter legum clarissimum sermonem vere atque certo adire alterius nomine noluit.

(p) De R. D. A. § LX. Putauit enim Trebatium voluisse, ut bona fidei possessor haeres fieret, quia ius sit, cum tamen contraria sententiam is fuerit amplexus; & ad hominem liberum bona fide seruien-

uientem hæreditatem iure reuerti censuerit. Hugo Donellus, vir summus, itidemque Iureconsultus grauissimus, et si Trebatium confutat; & Labeoni adstipulatur; tamen legis verba rectius aliis exponit, & ad mentem Celsi l. 59. de Hæred. Instit. Trebatii opinionem recenset. Nos vero ad Donelli rationes satis, vt credimus, respondimus. vid. eiusdem *Comment. de Iure Civili* l. IX. cap. VI. p.m. 45. add. Schilt. Exerc. ad ff. XLIV. §. XXXV. seq. p. 71.

§. XXXII.

Restat subtilis, & plus quam metaphysica con-
trouersia, cui Trebatium l. 3. §. 5. de adquir. vel amitt.
poss. obscurus his verbis implicauit Paulus: *Ex contra-
rio plures eamē rem in solidum possidere non possunt. Con-
tra naturam quippe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque
id tenere videaris. Sabinus tamen scribit, eum qui precario de-
derit, & ipsum possidere, & eum, qui precario acceperit.
Idem Trebatius probabat existimans posse alium iuste, alium
iniuste possidere: duos iniuste, vel duos iuste non posse. quem
Labeo reprehendit: quoniam in summa possessionis non multum
interessit iuste quis, an iniuste possidat. Quod est verius:
non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ve-
tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto; vel in quo ego se-
deo, sedere videaris. Qui minus attente omnia circum-
spiciunt, putabunt, credo, cruentas hic pugnas cieri,
easque finiri non posse, nisi aut Paulo, aut Trebatio ple-
nissima victoria, & absolutissimus decernatur triumphus.
Sed reprehendent haud difficulter veritatis studioli eos,
quos nominauimus, ICtos non tam de rebus grauissi-
mis, quam verbis concertare, illorumque iurgia, atque*

clamores in λογομαχίαν desinere. Quare videndum nobis est, quodnam huic morbo remedium sit adferendum. Nam rixa, quæ est de lana caprina ægrotum animalium innuit, quo in primis laborasse videtur Paulus; qui gladios suos hinc inde contra Trebatium, & Sabinianos vibrat; cum tamen ita sint constituti, ut neque hos, neque illum feriant; sed vanis aerem iætibus pulsent, ac magno conatu imaginariæ pugnæ speciem præbeant. Quod ut evidentibus signis patescat, notandum est, vocalam possessionis duo includere, ac continere, ut putatur, & ius; hoc est, animi intentionem, ac corporalem quamdam apprehensionem. Nam qui facto tantum, & actu corporali nullo dominii iure subnixus rem apprehendit, is eam potius detinet, aut etiam interdum sub larua commentitiæ possessionis usurpat. Iuris autores eam naturalem possessionem appellantur: ac naturalem, itidem in iustum, ac iniustum secuerunt (q), quemadmodum ciuilem possessorem dixerunt iidem, qui iuris dominique titulo munitus possessionem aut habuit, aut retinuit. Neque enim citra confusionis periculum adfirmari potest, cum qui peregre e. g. proficiuntur, possessione statim videri depulsum, dum alius interea possessionem rei vacuae iniusta quadam ratione occupat. Quis enim res suas secum semper, ut testudines, poterit circumferre? Inde igitur quæstio est enata, vtrum duo in solidum rem eamdem possidere queant, an securus? Paulus cum Labeone negauit; Trebatius, ac cum eo Sabiniani adfirmarunt. Illius rationes, et si subtiles, tamen speciosæ primo obtutu sunt. Quemadmodum enim fieri vix potest, ut res mea, mihique propria eodem modo pertineat ad alium, quo pertinet

ad

ad me; ita absconum omnino videtur, vt tu teneas,
quod ego iam teneo, & corpore inprimis occupatum
seruo: eoque pertinet simile, quod a manu rem to-
tam complectente, & pede rem vniuersam occu-
pante, ac premente Paulus desumit. Trebatius contra
existimauit, id quidem verum esse, si de eodem posses-
sionis genere sermo sit; non autem procedere, si de di-
uerso queratur. Quid enim? Annon iuste inquit reti-
neo, quod alius actu corporali præter ius & fas iniuit,
& iniuste possidere coepit? Ego vero, & ille alius duo
sumus; simulque possidemus; ille naturaliter, ego ciui-
liter: ille factio, ego iure: ille corpore, ego animo. Ita-
que duo, concludebat, in solidum possident, non eodem,
sed diuerso possessionis genere. Similiter id de locato-
re domino, atque conduceatore non domino adfirmari
posset. Quæ cum ita disputationur, fieri certe non po-
tuit, quin quidam ex nouioribus iuris auctoribus ad La-
beonis, & Pauli; quidam ad Trebatii, ac Vlpiani partes
inclinarentur. Refert Bachouius (r), ipsum Iasonem
Trebatio vietas dare manus voluisse, nisi Tribonianii &
Cæsaris in primis auctoritas, qua Pauli sententia firmatur,
eumdem retraxisset. Quod abieicti animi indicium est.
Philosophica enim iuris quæstio non tam auctoritatibus,
quam rationibus disceptanda est, atque secunda. Igitur
confidentius paullo, quid mihi animi sit, proferam, edi-
camque. Et puto autem Paulum, ac Vlpianum, Tre-
batium atque Labeonem in speciem potius, quam rea-
pse inter se dissentire. Paulus de facto loquitur; ceteri
de iure: hi de retentione consilium iniuere; ille de ad-
quisitione possessionis cogitauit: eaque ratione de cepis
vnus, reliqui de alliis disputatione (s). Quod, ut eluceat,
fa-

faciam. Neque enim sola animi intentione fieri potest, vt possessionem, qua ante carebas, adquiras, & indipiscaris: fieri tamen potest, vt sola animi intentione, atque enixa voluntate retineas. Deinde facile concedo eidem ICto, eum, qui corpore a re, cuius erat dominus, aut etiam detentor, abest, corpore, & facto amplius non possidere; quoniam alienus illud, quod olim occupauit, spatium inuasit, totumque cepit. Sed cum tamen nouus hospes eas regiones animo occupare nequeat, quas antiquus possessio[n]s mente retinet, nec penitus dimisit, relinquitur sane, hunc ciuiliter, & iuris quodam sensu adhuc possidere; illum vero corpore, & facto in re, quam apprehendit, insistere. Exemplum illustris Strykius (t) suppeditat. Nec iuuat, et si dicas (u); neutrum ergo in solidum possidere, si vnu[s] naturaliter, alter ciuiliter rem teneat. Facile enim est ad respondendum. Tenet vnu[s] in solidum naturaliter; alter ciuiliter; vnu[s] in solidum rei inhæret facto; alter iure. Ut ius individuum; ita factum est. At queritur, vtrum nec factum a iure, nec ius a facto queat separari. Si potest; Trebatius vicit: si minus, ostendatur, precor, clarissimus, quare quod ab aliis iureconsultis potuit fieri (x) a Trebatio tamen fieri nec debeat, nec possit? Plura non quaro.

(q) Etsi quidam sunt Doctores, qui voculam iustitiae absone atque minus apposite ad possessionem referri contendant, quod naturalem in mero facto consistere existiment; cui propterea iustitiae aut iniustitiae nomen perperam, quemadmodum quadratio circulo, adiiceretur, tamen, vt opinor., noua λογομαχία est. Nam quos alii detentores, eos nonnulli naturales possessores vocarunt, vt puta

puta Conductorem, depositarium, commodatari-
um, vel precarium penes se habentem, qui omnino
iuste, quod habent, tenent. Nec concludit, sto, er-
go sto, sedeo, ergo sedeo. ICtus enim merito querit,
vtrum aliquis ius standi aut sedendi habeat?

- (r) Ad Treutlerum Vol. II. Disput. XXI. Thes IV.
lit. K. p. 324. Et hoc etiam, inquir, Iason vidit,
qui in d.l.3. §.5. b. tit. col. I. exprefse scribit, nife
obstaret textus expressus, se potius probaturum
sententiam Sabinii, & dicturum, quod Paulus ma-
le reprehendat Trebarium, qui non eandem specie
possessionem sub qualitatibus tantum diuersis, sed
diuersas possessionis species in duobus concurrere
posse statuerit &c.
- (C) Eleganter ad nostram sententiam cordatissimus Boe-
ckelmannus Tr. de Actionibus insigni cap. V. §.3.
An ergo cum Matheo, Wissenbachio, Treutlero
aliisque Sabinianos & Proculianos hec (uti alias
sepe) dissensisse dicemus? Sic videtur, si Paulo si-
debat habenda. At rem ipsam penitus examinanti
vix persuaderi poterit, viros prudentes, iurisque
peritissimos de re tam manifesta ambigere, aut in
iure per se certissimo dubitare potuisse. Quid au-
tem manifestius, quid certius esse potest, quam
quod tu stare, aut sedere nequeas, quo loco ego sto,
sedone. Hec est sententia Pauli & Labeonis. Sic
illi vocem possessoris pro corporali retentione acci-
piunt, ut possidere dicatur fundum, qui sedem pe-
demus in eo fixeris. Hoc verogenus possessionis
duobus in solidum competere non posse nec Sabinum,
nec Trebatium, nec Vlpianum, nec Pomponium, nec
ullum mortalium, cui sanus est sensus, negasse, ne-
gaturumne fuisse, credibile est. Et paullo post:
Quae omnia facile efficiunt, ut credam Sabiniacos

Proculianos, aliosque veteres ICtos in re ipsa nec diffensisse, nec dissentire potuisse: & Paulum, La beonemque (quod neque veteribus, nec modernis insolitum) Sabini sententiam sive non intellexisse, sive perperam explicasse: certe infeliciter impugnasse. Frustra ergo hic alii antinomiam statuunt, alii Vlpianum non probare sententiam Sabini, sed ex hypothese eius disputare: alii quoque Pomponium Sabini opinionem recitare non probare, alii alia comminiscuntur.

(t) Idque eiusmodi, ut possessionem animo conservantem interdicto retinendae possessionis uti posse existimet. Interea ait T. de I. S. dissert. X. cap. IV. n. 54. certa ratione etiam Menochii sententia retinendi poterit, si scilicet, ut casum lege 6. ff. d. t. seruamus, mercator e mundinis reversus, aedes suas ab alio occupatas videns, mox iudicem adeat, & se in possessione eisdem suarum defendi, alterum vero ut turbatorem expelli petat &c. Non minus apposite laudatus Bakelmannus l.c. p. 8c. *Campossatio* quandoque de rei detinione quandoque pro detinendi iure accipiat: quis negauerit duos eamdem rem in solidum possidere posse, altero detentionem, altero detinendi ius habent? Atque hoc videtur innuere Vlpianus exemplo, quo proponit alterum iuste, alterum vi aut clam eamdem rem possidere. Certe qui possessionem vi, aut clam arripuit, detentionem potius, quam ius detinendi habuit: qui vero iuste possedit, eamque possessionem animo retinuit, altero clam rem detinente ius potius detinendi, quam detentionem habuit. *Ius* tamen illud detinendi etiam possessio dicitur: & licet quis corpori non incumbat, tamen animo possessionem retinere intelligitur.

(u) Est

(u) Etia hæc *Ioannis Schiltieri* obiectio Exercit. ad ff. XLV. §. XLIV.

(x) Quod si enim *Vlpiano* licuit possessionem in naturalem ac ciuilern distinguere vti ex l. i. ff. §. 9. de *Vi & vi armata* constat, quare quæso idem non liceat *Trebatio*?

§. XXXIII.

Speciosius videtur, quod *Marcellus* contra *Trebatiu*m l. i. §. 18. de aqua quotidiana defendit, quamquam non peruincat. *Trebatus*: cum amplior numerus pecoris ad aquam appelletur, quam debet appelli, posse uniuersum pecus impune prohiberi, quia iunctum pecus ei pecori, cui appulus debatur, totum corrumpat pecoris appulsum. *Marcellus* autem ait, si quis ius habens pecoris ad aquam appellendi, plura pecora appulerit, non in omnibus pecoribus eum prohibendum: quod est verum, quia pecora separari possunt. Si leg. ii. ff. quemadmodum servu. amitt. cum praesente componamus, videbimus, *Marcellum* statuere, non tam seruitutem amitti si plus, quam si aliud agatur, nec seruitute per modum præscriptum accipiens vtaatur. At, inquit *Huberus*, ad h. t. si plus oneris, quam dictum erat, dominans vexerit, vel itinere latiori sit usus, aut plura iumenta egerit, & similia aliud potius, quam plus egisse videtur; plane ad mentem *Marcelli* qui subtilis huiusmodi distinctionis auctor est. Verum tamen si recte perpendatur, opinio *Trebati*i majori verisimilitudinis specie collucet. Nam qui XX. pecora appellit ad aquam, cum possit decem appellere iure, meo sane iudicio aliud agit: plus enim illud pacti legi contrarium aliud est. Viginti a decem maxime distant. Actum

amittit qui certo genere vehiculi vti debuit, & maiori vſus est (y). Nec penetrat pecora posse separari; posset enim aliud quoque vehiculi genus adhiberi: & tamen Marcellus concedit, seruitutem amitti. Cur sic diuerſe? Vniuersum pecus prohiberi non vult. Ecur? quia non aliud, sed plus fecit. Nimis profecto captioſe, ac ſubtiliter. Sed demus tamē Marcello, quod vult: quis nouit, vtrum Trebatius diſentiat. Optarem, vt non interrupta huius ſententia poſſet legi. Quid ſi dixerim, Trebatium voluiffe, vt integrum pecus prohibeatur, donec ſeparet ipſe dominans? Sin hoc diſpliceat, reperio, plus, & aliud (z) coincidere.

(y) L. II. ff. quem seruit, amitt. quamuis fint nonnulli qui aliter explicent. Adde legem 18. tit. eodem, vbi is qui alia aqua vſus est; quam de qua in seruitute actum fuit, seruitutem dicitur amittere.

(z) Et enim aliud, ſi diuerſum genere pecus appellatur, eſt aliud, ſi plura. Nec obeft, quamuis dicas, amitti seruitutem; quod is, qui aliud facit, ea non vteretur. Non vſum autem in cauſa eſſe, quare ius seruitutis periret. Facile enim regero: neque hunc conſtituta seruitute vti videri; qui pecorum numerum contra fidein datam auget, & praescriptæ quantitatis fines excedit, illumque *τρόπον* *επτέρων*, vti Theophilus loquitur, plane negligit. Sane, qui alia aqua, quam de qua in seruitute actum eſt, vſus fuerit, seruitutis commodum amittit, quamuis aqua vtarur. Et qui viginti vero pecora appellit; cum debeat decem, pecoribus quidein vtritur; ſed aliis: ſed modo non con- cefſo, itemque nouo, quam qui a contrahentibus fuit signatus. Vnde colligas, cum, qui ſic vti- tur,

tur, reapse non vti, quidquid etiam spinarum ne-
stat cerebrosus Marcellus.

§. XXXIV.

Interea permittam Trebatium l. 22. §. 3. ff. quod vi aut
clam quandantenus a Labeone superari: præceptorem a di-
scipulo. Si fercus per fundum meum tuleris, cum id te fa-
cere venuissim: quamquam nihil damni feceris mibi, nec
fundi mei faciem mutaueris: tametsi teneri te quod vi, aut
clam Trebatius ait. Labeo contra: ne etiam is, qui dan-
taxat iter per fundum meum fecerit, aut auem egerit, ve-
natus fuerit sine ullo opere, hoc interdicto teneatur. No-
tanter vincenti Labeoni particulam quandantenus adie-
ci. Nam si vocabulum faciendi generaliter capiamus,
vti est eius, cum simpliciter ponitur significatio, ni-
hil in hac caussa amplius foret querendum, quam quid
esset vi factum, quid clam. Et adeo late vim dictæ
vocis Testa extendit, vt omne omnino contineat,
quod sit, aut factum est; siue adsit opus, & in sensu,
atque oculos incurrat, siue non: siue in solo, siue in re
mobili, siue nociturnum fuerit, siue secus, dummodo
vi factum fuerit, aut clam. Quod illum, credo, permo-
uit, vt hoc interdicto eum etiam teneri existimaret, qui
simum tulit, aut iuit, egitque per fundum alienum; qui-
que ibidem prohibente domino venatus est. Sed rectius,
fateor, sequioris aevi ICti ratiocinati sunt; paulloque pro-
pius ad veritatem Labeo accessit. Iubetur enim hoc in-
terdicto aliiquid restitui. Quid vero restitues, quæso, vbi
nihil operis eminet: nihil damni emergit; nihil detri-
menti eluet? Bene igitur ex fine interdicti verbum,
quod generis erat, ad speciem restitutioni conuenien-
tem

tem reuocatum est, vt eiusdem sententia apertius constaret. Aliud proinde foret, si quis aceruum stercoreis supra agrum pingue deieciisset, foloque vitium intulisset; vt & si quis lolium, vel auenam in alienam segetem sparsisse ad eam inquinandam. Hic aliquid sane superesset, quod tollendum non tantum; sed etiam quod in pristinum statum in re soli restituendum. Neque enim est satis, facta esse, quæ mutent faciem & priorem statum rei. Etiam locus ad caussam huius interdicti pertinet, vt fiant ista in solo. Tria autem sunt, quæ soli esse intelliguntur; vtpote, solum ipsum, tum superficies id est res omnis, quæ supra soli faciem emens solo coheret, vt ædificia, arbores: postremo & locus cœli vacuus, qui solo imminet. Quæ vniuersa itemque singula exemplis illustrat consultorum disertissimus Donellus, cuius Commentarii de Iure Ciuiti plus boni, Schilteri iudicio, continent, quam centum aliorum volumina, in quorum aruis non nisi quidam Donelli riuiuli inueniuntur, ac obseruantur. Confer itaque Lib. XV. cap. XXXV. p. 809. seq.

§. XXXV.

Restat adhuc vulgaris, sed spinosa tamen in speciem quæstio, quam Vlpianus leg. xi. princ. de furt. hisce verbis proposuit. *An is qui ex aceruo frumenti modium susluit, totius rei furtum faciat, an vero eius tantum, quod abstulit?* Offilius totius acerui furem esse putat: nam & qui aurem aliquius tetigit, inquit Trebatius, totum eum videri tetigisse. proinde & qui dolium aperuit, & inde parum vini abstulit: non tantum eius, quod abstulit, verum totius videatur fur esse. Sed verum est in tantum eos furti actione teneri,

neri, quantum abstulerunt. Nam & si quis armarium, quod tollere non poterat, aperuerit, & omnes res, quæ in eo erant, contrectauerit, atque ita discesserit, deinde reuersus, vnam ex his abstulerit, & antequam se reciperet, quo desinaverat, deprehensus fuerit: eiusdem rei & manifestus, & nec manifestus fur erit. Sed & qui segetem luce secat, & contrectat, eius quod secat manifestus, & nec manifestus fur est. Torquet se ad hanc legem Antonius Matthai (a) ICtus alias non indoctus, & Paulum & Vlpianum perplexe existimat loqui, pariter ac Trebatium nostrum, qui pro Ofilius sententia firmando ab eodem Vlpiano adducitur. Sed non est, fateor, necesse, ut tanti fluctus excitentur, & implacata ICtorum repugnantia statuatur. Putauit enim Ofilius (b), qui disciplinæ ex porticu fauebat, peccata inter se esse paria; adeoque parum interesse, vtrum quis totum aceruum, an ex illo frumenti modium abstulerit. Eodem Trebatius inclinauerat, cum adhuc Zenonis placita sectaretur, nondumque Epicuri hortulos amaret, quod ex simili ab contrectatione auris defuncto satis liquet. Sed iam quærebatur, vtrum ratione totius acerui actio furti; quid? quod condicatio furtiva locum habeat; an ratione partium tantum, quæ ex patrimonio nostro iniuste sunt decerptae. Et ait Vlpianus: *Sed rerum est, in tantum eum actione furti teneri, quantum abstulit.* Recte. Nam aliter ICti, aliter Philosophi iudicant. Ratio dubitandi ex Stoica, quam Ofilius, atque Testa olim professi sunt, Philosophia permanauit. Sed sat scio, eosdem ICtos ab Vlpiano nequaquam dissonos; nec Vlpianum etiam sibi vsquam (c) contrarium apparere. Nam si rem ad Stoicæ (d) sapientiae normam, atque assumim suspendas, verum est, fraudulentam contrectationem

tionem non solum adesse, si multum, verum etiam si parum, atque exiguum quidpiam abstuleris. Hi Philosophi ad animum respiciebant, qui ne latum quidem vnguem a lege aberrare debebat. In foro autem secus est. Ibi de restitutione illius, quod est ablatum, quaeritur; aut etiam de poena furti, quae secundum id, quod abest ex patrimonio, determinatur. Igitur nequaquam Vlpianus a seipso dissidet, nec etiam ab Ofilio, atque Trebatio. Semper enim distinguendum est inter furtum, & actionem furti; inter furtum, & condictionem furtuam. Qui partem abstulit, is philosophice totius rei, quam semel contrectauit, fur esse censetur; non autem iuris quodam sensu, vbi ad ablatū merito respicimus. Quod quidem aperte in ead. leg. §. vlt. ab Vlpiano proditum est: *Quamuis autem, inquit, earum quoque rerum, quas quis non abstulit, furti teneatur; (sensu nempe philosophico) attamen condici ei non potest; idcirco quia condici eares. (in foro) qua ablata est, potest.* Atque ita quidem non immirato miramur, aliquid à ratiōne ab iuris auctoribus, quamvis peritissimis, hoc loco fuisse repertum: cum tamen plana sint omnia; clara, atque perspicua. Sed fecit historiae philosophorum inscitia; & ḡewęlaς cum praxi confusio, vt secum Vlpianus pariter, & cum aliis ICtis committeretur.

(a) Verba Matthæi Tr. de Criminibus ad Lib. XLVII. ff. de Furtis. Cap. I. n. 3. hec sunt: *Illa autem questione licet vulgaris, tamen difficilis est, si quis ex acervo frumenti modium, vel ex armario cella, apotheca, involucro res aliquas abstulerit, utrum totius fur sit, an vero eius tantum, quod abstulit?* De qua questione Vlpianus & Paulus in l. XXI.

6

& XXII. D. b. t. ira perplexe differunt, ut exclamare
cum Poeta possis:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo.

Quæ verba postrema a Wiffenbachio quoque sunt
adducta.

- (b) Aulus Ofilius Trebatius æqualis fuit, Augusto fa-
miliarissimus, nec Ciceroni etiam incognitus, quip-
pe quem re pecunaria ab eo adiutum ex Epist. xxiv.
Lib. xvi. conicimus: nisi quidem Ofilius de quo
ep. XXI. Lib. VII. aliquid inuenitur ab hoc Ofilio
prorsus diuersus sit. Nonnemo hunc Ofilium cum
Ofello apud Horatium Sat. II. Lib. II. confudit: qui
tamen rusticus fuit, cuius agri diuisione triumvirali
Veterano cuidam Vmbreno assignati fuerunt.
- (c) Scripsit equidem Iacobus Wiffenbachius Disp.
XXIX. Tit. de Furt. §. IX. Vlpianum in d. L. 21. sibi
vix constare, quod §. 8. distinguat, utrum totum sur-
auferre potuerit, nec ne; eumque putare, si totum sur-
auferre nequuerit, partis tantum nomine, quam
abstulit, teneri; si vero totum potuerit tollere, nec
tamen illud, sed partem asportauerit, totius nomi-
ne conueniri posse. At vereor, ne Vlpiano tribua-
tur opinio, de qua ne quidem per somnum cogita-
uit. Neque enim illa Vlpiani, sed Sabini sententia
est, quam refert, atque recenset: tantum abest, ut
probet Domitius. Ipse *Strykius* ICtus summus T.
de I. S. Differt. VII. Cap. III. §. 23. hic nodos agno-
scit, quos soluere conabimur. Tota namque dif-
ficultas in vocula *dicimus* latirare videtur. Pro quo
leges, si placet, *dicamus*; & hic sensus emerget pro-
russus euidentiaque planus. *Quid?* se totum vas tollere
potuerit, *dicamus* ne eum totius esse furem, licet sol-
uerit, ut singulas vel quasdam tolleret? & ita Sabi-
nus ait. Ex quo elucet, Vlpianum alterius ICti,
hoc est, Massuri Sabini opinionem referre. Quo
etiam

etiam Antonius Matthæi l. cit. tandem inclinat, quanquam nihil in textu mutauerit. Nec terret, cum aīs; nimis violenter secari hunc nodum. Quæ enim violentia est; si mutetur literula? nisi quidem existimes, solum Iuris ciuilis corpus librariorum incuria singulari fato nusquam apparere corruptum; etiam libri antiqui vniuersi itemque singuli huic morbo, ac vitio alias sint subiecti. Tu ipse iudices, vtrum satius sit, ita explicare Vopianum ut secum pugnet, fluctuetque, an vero, ut limpide clareq; eiusdem sententia fluat? Credo Te posterius esse approbaturum, vt nos facimus atq; demonstramus.

(d) Exprimit Horatius illud ex porticu Paradoxon Lib. I. Epist. XVII. v. 55. seq.

*Nam de mille fabæ modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus mihi patio lenius isto.
quanquam quid reuera fererit de hoc dogmate ex-
plicatus tradiderit Sat. III. L. I. v. 95.*

*Quæis paria effere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque re-
pugnant*

*Atque ipsa utilitas iusti prope mater & æqui.
ac paullo post v. 115. seq.*

*Nec vincet ratio hoc: tantundem ut peccet, idemq;
Qui teneros caules alieni fregerit horri
Et qui nocturnus divum sacra legerit.*

Atque hanc causam fuisse Rappoltus Comment. ad hanc satyram p. 79. ostendit, quare Epicurus stoicis semper contrarius illi paradoxo apud Lært. Lib.X. suum dogma àuctoritate divisa sivas opposuerit.

§. XXXVI.

Atque haec quidem sunt, quæ Trebatio potissimum fuere obiecta; sed, vt puro, satis etiam dispulsa, atque confutata. Penes lectorem nunc sit iudicium, vtrum tali ignomi-

ni-

minia reperiatur dignus, qualem ab *Heinso*, eiusque aſſeclis
præter meritum tulit. In plurimis certe accuratius, quam
ceteri iuriſ interpretes, rationes suas subduxit, inque pau-
cis lapsus eſt. Et labi autem, & errare humanum videtur.
Hinc nimis ſeuera *Vincentii Grauine* (e) censura eſt, qui ob
hoc ſolum in definiendo præcipitem appellauit, & ingenio
magis, quam iudicio valere dixit, quod in ea quæſtione:
poſteſne de furto ante aditam hereditatem commiſſo he-
res agere, neminem adſenſiſſe responderit; cum tamen Ci-
cero (f) Brutum, Manlium, & Sextum Aelium auctōres
produixerit. Quid enim eſt hoc, ſi non nimis acris ac ve-
hementis ingenii iudicium eſt? Omnes enim omnium IC-
torum opinioneſ in numerato habere difficile eſt. Forte
Trebatius quasdam tenuit, atque cognouit, quas ignorauit
Tullius (g). Interea optamus denuo, ut libelli, quos exarauit
Teſta, ad poſteros forent transmiſſi. Forte maiora deſen-
ſionis praefidia inde poſſent deſumi. Nam etſi eius opera
(h), ſicuti Pomponius teſtatur, tanto ardore non ſunt le-
tita, quanto aliorum, quod illo facundiæ (i) ſpiritu de-
ſtituerentur; non eſt tamen dubitandum, quin nos ea di-
ligenſiſſime ſimus perueſtigaturi, qui non tam verborum
cortices, atque nitorem, quam rerum nucleos, pulcerri-
mamque ſubtantiam in huiuscemodi litterarum monu-
mentis eſſe, ſcimus, querenda.

(e) T. de ortu & progreſſu Iuriſ Civilis p. 102.

(f) Lib. VII. Epift. XXII.

(g) Et quis quæſo iudicium deſetum attribueret illi, qui omnes ICtorum
opinioneſ animo non comprehendat? Potius memorie hoc vitium fo-
ret. Sed illud adſcribere Trebatio Cicero vetus.

(h) Libros certe multos de iure Civili compoſuit, & de Religionibꝫ nouem.

(i) Exiftimauit quidam apud Ammianum Marcellinum lib. XXX, cap. IV.
Trebatium loqui ſonare ſætores loqui; quod tamen falſum eſt. Neque
enim Marcellinus de eloquentia Trebatii atque Casellii aliiquid taneſe
memorauit; verum de illis potius, qui veteres leges recoquunt, & ad
Trebatium vique atque Casellium adſcendent.

F I N I S.

CORRIGENDA.

P. 3. lin. 9. leg. stultitia. p. 4. lin. 22. l. Epistola. ibid. fin. vñm. 1. E-
pist. VIII. p. 7 lin. 4. l. Lib. VII. p. 10. lin. 16. l. nonnullis. ibid. lin. vñc. l. scis
pro seu. p. 11. lin. 22. l. pertinefas. p. 13. lin. 1. l. pro ridicula vero, quemadmodum
Lib. II. Cap. LIV. Ciceronis de oratore, quod de ridiculis agit, atque
false dicitur. p. 17. lin. 7. l. insinuavit pro infir manit. ibid. lin. 16. l. Nixarog.
ibid. lin. 25. l. Venuinæ. p. 18. lin. 5. l. occurserunt. p. 46. lin. 23. l. Nec hys-
maliaq. 59. lege plus potius, quam aliud. p. 6. lin. 29. l. pro qua, in pre-
fat. col. 3. lin. 17. l. leuicula.




00 A 6444



St.

R

W.A.



34 33

Q. D. B. V.

**C. TREBATIVS TESTA
ICTVS IN IVRIIS TAM
VETERVM QVAM RECENTIO-
RVM AVCTORVM
LIBERATVS**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE A DOMINO
DN. PHILIPPO WILHELMO
PRINCIPES BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO DVGAT. MAGD. GUBERNATORE
CETERA

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

**NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO I.V.D.**

SACRI TRIBVNALIS QVOD EST IN DVCATV
MAGDEBVRGICO CONSILIARIO REGIO
ELOQVENTIAE AC ANTIQVITATVM
PROFESSORE ORDINARIO

RESPONDENTE

HENRICO WILHELMO HOLTZENDORFFIO
BEROLINENSI

placide Eruditorum Disquisitioni subiicitur
D.XIX. Iulii MDCCX.H.L.Q.C.

HALAE MAGDEB. Litteris CHR. HENCKELII Acad. Typ.